CONSTITVTIONES SYNODI PROVINCIALIS TRANENSIS, ET SALPENSIS.

HABITÆ ANNO DOMINI M. D. LXXXIX.



S. NICOLA PEREGRI.

TRANI ANNO DOMINI MDCXVII.

Apud Laurentium Valerium.

Superiorum permissu

SCIPIO EX
PHRYGIIS PENATIBVS
DE IOLPHA
DEI ET APOSTOLICÆ
sedis gratia Archiepiscopus Tranen. & Salpensis.

Vniuersis Prouinciæ nostræ fidelibus Salutem in Domino.

REM arduam, atque difficilem aggressi sumus, & onus etiam angelicis humeris formidandum suscepimus, cum Dei & Apostolicæ sedis gratia cura Archiepiscopalis nobis commissa est. Nam pro nostri pastoralis officij munere vigilare nos semper oportet, & gregem verbo doctrinæ & veritatis pascere: ferarum circumeuntium insidias detegere, & à crudelissima rabie, qua gregem ipsum dilacerare cupiunt, fortiter tueri, atque defendere: errantes oues reducere, perditas quærere: infirmis mederi, & quæ prospera vtuntur valetudine, ne in morbos incidant, omni solicitudine cauere: denique ita in omni-

A 2 bus

rus saluti omninò prospicere debemus, vt nostram salutem communi ouium saluti posteriorem ducentes, nullum vmquam vitæ periculum subire recusemus; Sed boni illius Pastoris, qui nos proprio sanguine redemit, exemplum sequuti, animam pro ouibus libenti animo exponamus. Quæ, vt grauia sunt ad præstandum, eò grauiorem metum nobis tùm maximè incutiunt, cùm verba Domini per Ezechielem cap.3.& 36. prolata animo versamus, quibus pereuntium ouium sanguinem de pastorum manibus reposcendum acerrimè comminatur. Verum omnem mentis nostræ aciem in eum intendentes, qui Matth. 11. laborantes ad se venire iubet, vt reficiantur, in tribulatione solatium, in metu spem inuenimus: quibus roborati diuinum illud speramus auxilium, quo ad id muneris obeundem tantoperè indigemus. Quare, dilectissimi, cum ad hanc potissimum curam toto pectore incumbendum nobis sit, vt & vos salutaribus documentis instruamus, & ad pristinam illam vitæ & morum honestatem, quæ tantopere in populo Christiano requiritur, seruandam in Domino cohortemur, ac abusus, qui in hanc nostra prouincia dęmonis arte irrepserant, extirpemus, operæpretium duximus

us ad ſacroſancti Tridentini Concilij. &
crorum Canonum præſcriptum prouin-
alem Synodum congregare: in qua Reue
ndiſſimis prouinciæ noſtræ Epiſcopis ad
bitis, quæ ad ſanæ doctrinæ prædicatio-
m, & ad Cleri, populiq; reformationem
uenientiora viderētur, Deo bene iuuan
ſtatueremus. Quod quidem animi no-
i inſtitutum, iam ab ipſo Archiepiſcopa
s ingreſſu conſtanter ſuſceptum, ne exe
tioni mandaretur, multæ iuſtiſſimequè
uſsæ prohibuerunt. Nam cum multa,
varia ſint, quę ad noſtrum hoc onus ſpe
nt, neceſse quidem habuimus multipli-
m ſolicitudinē ſuſcipere, multas etiam
ictiones exequi, quæ officium maximo-
rè impedierunt, quod huic Synodo cele
ndæ præſtandum nobis erat diligenter.
portebat quoque vultum pecoris prius
noſcere, ſubditorum mores, & ſtudia
quirere, ac perſcrutari, ne in grege ipſo
bernando, & ſecundùm Deum inſtituen
aut temere à nobis quidquam commit
aut negligenter omitti videretur. Præ-
rea boni medici exemplo edocti, ægro-
ntium ouium naturam, antequam à no-
medicamēta applicarentur, ſeduló in-
ſtigauimus, morborum cauſsas diligen-
diſcuſſimus, vt ijs optime exploratis

 &

& examinatis, in ipsis ouibus curandis nihil sine ratione fieret, quod negligentiæ nostræ tribueretur. Ad quæ omnia præmeditanda, & conficienda diuturniori sanè, quàm insumpsimus, tempore opus esse, nemo est, qui nõ videat: sed hanc nostram prouincialem Synodum diutius non duximus protrahendam, ne ipsius Concilij Tridentini decretis, quorum executioni potissimùm studemus, minùs obtemperare videamur. Iam verò tandem, dilectissimi, post hęc temporis interualla prouincialis Synodus à nobis habita, ac ritè, & canonicè celebrata est. In qua Episcoporum, qui aderant, conuentu dimisso, pro vestra omnium vtilitate, quam nostris omninò commodis pręferimus, sedula à nobis in eo diligentia posita est, vt cõstitutiones in Synodo editas recognitas, & dispositas, & à sacra Congregatione Concilij probatas quàm primùm euulgaremus, vt quid pro sua vnicuique ratione faciendum sit, facilè constare possit. Nunc ergo edimus, & damus vobis Synodales constitutiones, quas pro officij nostri munere, proq; paterna charitate, qua gregem nostrum in Christo vnicè diligimus, ita à vobis accipi admonemus, atque præcipimus, vt ad illas ipsas exequendas nusquam desit prompta ve-

stra

ſtra voluntas,ſtudium,obedientia, atque
omne officium. Si enim hinc fructum ex
vobis percipimus, quemadmodum perce-
pturos ſperamus, non erit inanis ſolicitu-
do noſtra; neque erit inanis obedientia
veſtra. Agite igitur iam, qui Synodalibus
ſtudijs ad omnem bene agẽdi partem ex-
citamini,vt,& virtutum exemplis, & rectè
actis diſciplina vitæ Chriſtianæ in hac
prouincia ſplendeat,vobis ſemper in om
ni opere Domini abundantibus. Mutuis
vos officijs iuuate, & vt nobis ad regendũ,
vobis autem ad parendum omnipotens
Deus virtutem largiatur aſſiduis præcibus
petite. In ſanctis conuerſationibus, & pie-
tatibus eſtote ſemper: mutuam in vobiſ-
met ipſis charitatem habete, non quæ ve-
ſtra ſunt quærentes, ſed quæ Ieſu Chriſti.
Denique ita in omnibus pietatis officijs
verſamini, vt opera veſtra bona in hac
prouincia eluceant, & de progreſſionibus
veſtris gratias perpetuò agamus Deo, cui
laus eſt in ſæcula ſæculorum.

 PERII-

PERILLVSTRI
ET REVERENDISSIMO
Domino vti fratri Domino Archiepis. Tran.

PERILLVSTRIS, & Reuerendissime Domine, vti Frater. Decreta in Prouinciali vestro Concilio facta Illustrissimi Patres, qui Tridẽtino Concilio interpretando presũt, quibus id munus auctoritate Apostolica iniunctum est, magna sanè diligentia adhibita recognouerunt; in ijsquè cùm tuam prudentiam, vereq; pastoralem solicitudinem probè agni tam commendarunt, tùm ea ipsa decreta vtpotè Canonicis sanctionibus & sacrosancti Tridentini Concilij decretis vsquequaque consentanea, & (quod caput est) ad Ecclesiasticam disciplinam in ista Prouincia siue tuendam, siue restituendam magnoperè accomodata, obseruatu dignissima iudicarunt, præter quidem admodùm pauca, quæ tanquam animaduersione di-

gna

gna è regione cuiusque decreti adnotauimus, vt, inquam, adnotata corrigantur, & in publicum edantur. Quod superest, vt suscepti laboris operisq; confecti fructus constet, Amplitudo tua, tuiq; suffraganei Episcopi in suis quisque Ecclesijs & Clero, in tot salutarium constitutionum obseruationem nauiter incumbite, semper illud memori mente reuoluentes: vnam atque optimam esse legem ipsarum legum obseruantiam. Valeat in Domino Amplitudo tua, cui fœlicē istius Metropolitanæ Ecclesiæ administrationem & regimen cū diuinæ gratiæ cumulo precamur. Romæ die xv. Maij M D X C.

Amplitudinis tuæ Perillustris, & Reuerendissimæ,

Vti Frater A. Card. Carafa.

NOS

SCIPIO DE TOLPHA

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia Archiepiscopus Tranen. & Salpensis,

De consilio, & assensu Reuerendissimorum DD. Coepiscoporum nostrorum, qui ad laudem & gloriam Dei in hanc Prouincialem Synodum conuenerunt, hæc, quæ sequuntur, statuimus, & decernimus.

SESSIO PRIMA

CELEBRATA DIE IOVIS, 5. Mensis Octobris 1589.

DECRETVM DE INCHOANDA Synodo Cap. I.

REVERENDISSIMI Patres, Placet ne vobis, hodie ad laudem & gloriam sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad incrementũ Christianæ religionis, pro abusibus tollendis, moribus

reformandis, excessibus corrigendis, & alijs ex sacris Canonibus permissis statuendis, Prouinciale Tranense Concilium incipere; & inceptum esse?

Responderunt; Placet.

CAP. I.

ET quoniam maximè decet, vt omnia ordine, & ratione fiant, hæc sacra Synodus statuit, & decreuit, vt qui prior ad episcopalem dignitatem vocatus extitit, priori loco sedere, & alijs præcedere debeat: expressè declarans, tam in sedendo, vota proferendo, cæremoniasque faciendo, vel non faciendo, quàm in omnibus alijs ex locis cuique assignatis, nulli ob id aliquod fieri præiudicium, nullique nouũ ius acquiri, aut acquisitũ intelligi, præiudiciumuè aliquod fuisse tàm in petitorio quam in possessorio illatum, sed omnium iura, prærogatiuas, gradus, & præminẽtias saluas, & illæsas remanere, prout ante nostri Concilij celebrationem reperiebantur.

DE

DE FIDEI PROFESSIONE, CAP. I.

CVm, nisi valida fuerint fundamenta, quicquid superædificatur corruat necesse sit, hæc sacra Tranen. Prouincialis Synodus legitimè congregata, Patrum & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exempla, Tridentinique Concilij præceptum sequuta, confessionem Catholicæ fidei cõtra hæreses omnes, & alia aduersantia præmittendam esse censuit. Itaque vno spiritu, vnaquè voce, eamdem fidei professionẽ, iuxta formam traditam per fœl. rec. Pium IV. in hunc, qui sequitur, modum pro se quisque emiserunt.

CRedo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium; & in vnũ Dominũ Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnat' est de Spiritu sancto

x Maria virgine,& homo factus est. Cru-
ifixus etiam pro nobis sub Pontio Pila-
o,passus,& sepultus est; & resurrexit ter-
ia die secundum scripturas;& ascendit in
œlum,sedet ad dexteram Patris;& iterum
enturus est cum gloria iudicare viuos, &
nortuos,cuius regni non erit finis; & in
piritum sanctum Dominum, & viuifican-
em,qui ex Patre,filioquè procedit; qui cū
atre,& Filio simul adoratur, & conglori-
catur; qui loquutus est per Prophetas:&
nam sanctam catholicam,& Apostolicam
cclesiam : Confiteor vnum baptisma in
emissionem peccatorum ; & expecto re-
irrectionem mortuorum; & vitam ventu
sæculi . Amen .

APostolicas , & Ecclesiasticas traditio-
nes,reliquasquè eiusdem Ecclesiæ ob
eruationes , & constitutiones firmissimè
dmitto,& amplector . Item sacram scri-
turam iuxta eum sensum,quem tenuit,&
net sancta mater Ecclesia,cuius est iudi-
re de vero sensu , & interpretatione sa-
arum scripturarum , admitto; nec eam,
iquam , nisi iuxta vnanimem consensum
itrum,accipiam,& interpretabor .

Profiteor quoque septem esse verè &
opriè sacramenta nouæ legis, à IESV
CRI-

CHRISTO Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt nō omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaq; gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reitera ri non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorū solemni administratione recipio, & admitto. Omia & singula, quæ de peccato originali, & de iustifica tione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis, atque in san ctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & san guinem vnà cum anima, & diuinitate Domini Nostri IESV CHRISTI, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpeci totum, atque integrum CHRISTVM, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſse, Animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari. Similiter & ſanctos vnà cum CHRISTO regnantes venerandos, atq; inuocandos eſse; eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſse venerandas.

Firmiſſimè aſsero imagines CHRISTI, ac Deiparæ ſemper VIRGINIS necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarū etiam poteſtatē à CHRISTO in Eccleſia relictam fuiſse, illarumquè vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarē eſse affirmo.

Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium eccleſiarū matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorū principis ſuccefsori, ac IESV CHRISTI Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita,

defi-

definita & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulquè contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, & reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque á meis subditis, vel illis, quorũ cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: & ita spondeo, voueo, ac iuro; Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

C A P. I I.

HÆC sacra Synodus mandat, & præcipit, quòd omnes beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, & qui dignitates, & canonicatus obtinent, & in posterum obtinebunt, præscriptam fidei professionem in manibus Ordinarij, vel eius generalis Vicarij, eo impedito, faciant ge

nibus

nibus flexis: & qui dignitates, & canonicatus in Ecclesijs cathedralibus, in Capitulo palam coram omnibus profiteantur, duobus vel tribus adhibitis, & notario, qui eam in publicum instrumentum rediga, & in librum ad id comparatum refera, cum profitentis subscriptione. Liber autem in Archiuio Episcopali conseruetur.

DE MODO VIVENDI, alijsque in Synodo seruandis. Cap. I.

QVia vitam alienam corrigere non valemus, qui nostram negligimus: cumque nullū maius præiudicium, quàm à sacerdotibus tolleret Deus, quando eos, quos ad aliorū correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, & quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debemus; cumque initium sapientiæ timor sit Domini; ante omnia ipsius implorandum est auxilium, vt ipsi Synodo ad honorem & gloriam nominis sui, & huius Prouinciæ vtilitatem, pro abusibus corrigēdis, & moribus reformandis in eius nomine inchoatæ, prosperos, & fœlices successus tribuat: Eapropter hortamur omnes, qui in dictam Ciuitatē

conueniunt, vt huius rei gratia ad Dominum preces effundant, à peccatis abstineant, ac confiteantur: Episcopi, & cæteri sacerdotes Missæ sacrificium faciant saltem tribus diebus in vnaquaque hebdomada; Clerici verò sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumere non omittant, singulis ferijs sextis ieiunent, ac bonis operibus intendant: Hortamurquè Episcopos, vt in eorum Ecclesijs idem faciendum curent.

SESSIO SECVNDA

CELEBRATA DIE DOMINICO 8. Mensis Octobris 1589.

DE VICARIIS, ARCHIPRESBYTERIS, & Curatis, Cap. I.

OMNES Vicarij, Archipresbyteri, & Curati, inquirant diligenter, si in eorũ cura sit aliquis malè sentiens de fide, aut suspectus, (quòd absit) & si quis libros, aut scripta à sede Apostolica prohibita retineat, teneatur quilibet intra decem dies notulam omnium librorum Vicario loci tradere: qui verò hoc tempore non dederit, arbitrio Ordinarij puniatur, alijsuè pęnis in Bulla Cœnę Domini con-

tentis, & in Bulla fæl. recordationis Pij Papæ Quarti, quæ incipit: Cùm pro munere.

CAP. II.

Vicarij, qui in partem sollicitudininis Pastoralis vocati sunt, de vita presbyterorum, de moribus populi, & de ijs omnibus, quæ ab ordinarijs locorum statuta sunt, diligenter habeant curam; illosque, eorumue Officiales sæpè certiores faciant: Inquirant similiter, si dies festi coluntur; si sancta Quadragesima, Quatuor tempora, & Vigiliæ Sanctorum seruantur; si pueri Christiana disciplina inbuuntur; si pia legata soluũtur; qui non confitentur; si quis cum excommunicatis versatur; si templa sacra bene coluntur; si Curati eorum, vt decet, officium exercent. quibus iniungitur, vt librum animarum conscribant.

CAP. III.

Licet in hac Prouincia nulla sit ordinaria bibliotheca, neque librorum impressores; tamen quia semper in nundi-

nis,

is, ac alio in tempore ad eam se confe-
runt venditores ipsorum, & sæpe cum li-
bris vetitis & prohibitis inscios inficien-
do, & mentes eorum labefactando: Proui-
deant Episcopi neminem libros vendere,
aut emere posse, nisi prius ipsis omnibus
benè inspectis, visis, & recognitis, & dein-
dè de licẽtia ipsorum. Habeantque regu-
las & indices librorum prohibitorum, iu-
xta decretum Concilij Tridentini, ex au-
ctoritate fœlicis recordationis Pij IIII.
editas; & seruari mandent ab omnibus Bi-
bliopolis, cæterisque omnibus laicis, &
Ecclesiasticis personis.

CAP. IIII.

Reprimatur temeritas illa, qua ad pro-
fana conuertuntur, & torquentur
verba, & sententiæ sacræ scripturæ: à Spi-
ritu sancto prolata, ad scurrilia scilicet, as-
sentionem, fabulosa, vana, detractiones,
superstitiones, famosos libellos, aut alias
profanas indignitates: qui contrafecerint
episcopis impietatis & temeratis pœnas
dabunt.

C A P. V.

SImiliter procedatur contra superstitiosos, sortilegos, Astrologos, strigas, atq; diuinatores, & ariolos, Zingaras mulieres, quæ ex quibusdam manuum lineamentis futura prædicere præsumunt, secundum delictorum grauitatem, & iuxta formam traditam in Bulla nuper edita per Sanctiss. D. N. Sixtum Papam V. Doceantque Archipresbyteri, quia ad eorum cura pertinet, quàm sit enorme peccatum, & crimen illorum.

DE FESTORVM DIERVM CVLTV & obseruatione. Cap. I.

DIes festi Ecclesię precepto, vel loci cõsuetudine obseruandi, colantur, nullatenusquè violentur, nisi necessitas, aut pietas aliud requirat; quinimo populi ita instituantur, vt inter sint sancto sacrificio Missę, diuinis officijs, audiant conciones; cessent à manualibus, & à quibuscunque illicitis, & seruilibus operibus, iudiciorũ agitationibus, emporijs, nundinis, alijsquè mercatorijs conuen

tibus

tibus exercendis, atque ea in alium diem non festiuum transferant.

CAP. I I.

CVrent Episcopi, vt abstineant populi, dum diuina celebrantur, à turpibus ludis, à vanis spectaculis, circulationibus, comœdijs, cursibus equorum. Cantilenas voce, aut instrumentis, publicis locis, vel quasi publicis, seu saltationes, & alia nugarum genera ne exerceant, sub pœnis Episcoporum arbitrio imponendis, & in pauperum vsus erogandis. Conuocationes (quæ consilia vocant) nisi necessitas instet, cum ordinarij expressa licentia, & post vesperas, dummodo non in Ecclesijs fieri permittantur.

CAP. I I I.

OFficinæ non aperiantur, nisi aliud loci ordinario videbitur, ne quid in eis ematur, aut vendatur, pane, vino, ac pharmacis pro ægrotis necessarijs exceptis. Carnes verò, fructus, & olera peractis missarum solemnibus intra officinas vendi poterũt, portello tantùm aperto, in locis per

locorum ordinarios deputandis, ita vt populi necessitatibus succurratur: quod Episcoporum prudentiæ, & pietati sacra Synodus committit. Qui contrafecerint, secundum sacros canones arbitrio loci ordinarij, personarum, & rerum qualitate pensata, multentur.

CAP. IV.

MOneant magistratus sæculares, vt festi dies altissimæ Maiestati dedicati, nullis exactionum vexationibus prophanentur, sed cessent omnino in causis ciuilibus exequutiones reales, & à personabus abstineant, saltem dum missæ celebrantur, nisi necessitas, & iuris ratio aliud suaserit, vt respiceret populus, & fœderis habeat interuallum, ac diuinis interesse possit. Qui contrafecerint, tàm mandantes, quàm exequentes excommunicationi subdantur.

CAP. V.

MOneant curati parentes, vt curam adhibeant, vt puellæ nubilis ætatis ad Ecclesias conueniant festiuis diebus, &

Missæ sacrificio intersint. Defunctorum verò consanguineos, & affines, ne more Gentilium in suis domibus se includant, sed Ecclesijs intersint, diuina audiant, & pro defuncto preces ad Deum porrigant, & ne nimium contristentur de dormientibus, vt dicitur 1. Thes. 4. sicut & cæteri, qui spem non habent resurrectionis.

CAP. VI.

Festiuis diebus, Notarij omnes à contractibus inter ciues conficiendis omnino abstineant; si verò contrahentes exteri fuerint, tunc post Vesperas fiant cum ordinarij expressa licentia; obligationes verò penes acta nullatenus recipiantur. Qui contrafecerint, excommunicentur.

CAP. VII.

Quia maximus in huius Prouinciæ partibus inoleuit abusus, non solùm homines solutos, sed etiam maritali thoro iunctos, proprias domos, & vxores derelinquentes, festiuis diebus cauponas, & tabernas frequentare, gulæ, & ventri indulgendo, vxores, & filios fame perire permittere, vnde causas eisdem thorum

Sanctae a Gameto T. 4. violata: 6. cap. XI. 7. 6.

violandi tribuunt ; & diuinis non intersunt : Ideo sacra Synodus animarum saluti prospiciens, mandat, & præcipit sub pœna excommunicationis, & alia salutari Episcopi arbitrio imponenda, vt nullus ciuium in tabernis comedere præsumat prædictis festiuis diebus ; Venditoribusque sub eodem pœna præcipit, ne id vllo modo permittant. Ordinarij locorum procurent, vt modis omnibus huiusmodi abusus extirpetur.

CAP. VIII.

PRædicatores, & curati populũ moneant, vt diebus festiuis, & dominicis in Cathedralibus Ecclesijs, & Parochialibus Missas, & alia diuina officia audiant.

CAP. IX.

VT certa aliqua, & vniformis forma in tota Prouincia Trancii constituatur dicendi horas canonicas, & alia diuina officia celebrandi, ne homines ex vno loco diuertentes, & ad alium euntes, diuersimodè diuina officia, & Missas celebrari

brari prospiciant, atque audiant: sacra synodus mandat, vt in officij modulandi ratione, vna eademque sit obseruantia, vt festa celebrari solita in diœcesi Metropolitana Tranensi, celebrentur in Ciuitatibus Comprouincialium; & quæ in eorum Ciuitatibus, celebrentur similiter in tota Prouincia: quod à Regularibus, qui Romano vtuntur officio, etiam obseruari præcipit. Quæ inferius describi; & annotari iubet, & mandat.

DE RELIQVIIS SANCTORVM, & sacris Imaginibus. Cap. I.

Reliquiæ Sanctorũ in loco honesto, ac decenti vasculo sub bona custodia seruentur; populo pietatis, non quæstus gratia, non passim, nec extra capsam, neque absque decẽtu, cũ ea, qua decet, reuerentia, & lumine ostendantur, accum Episcopi tamen licentia. Et laici eas non tractent, aut eisdem in superstitionibus non abutantur. Nouæ aut ignotæ reliquiæ, à populo venerandæ non offerantur, nisi prius ab Ordinario probatæ fuerint.

CAP. II.

Insolitæ imagines, insolito ue loco non pingantur, aut sculpantur, aut apponantur

tur in Ecclesijs aut religiosis, pijs, publicisque locis; in eis nihil obscœnum, aut profanum cõspiciatur, quo fidelium mentes, aut oculi offendi possint; sed tales sint, vt dum cernuntur, pietas excitetur. Pictores, aut Sculptores sine Episcoporum licentia expressa, in Ecclesijs, publicisuè locis imagines sacras effigendas nullo modo ponant, & quæ positæ sunt, Episcoporum officio deleantur, amoueantur, aut mutentur sumptibus, quorum interest, pœnis contra contumaces imponendis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE Cap. I.

Sacramenta honestè, & sine simoniæ labe, vel auaritiæ, turpisuè lucri suspicione. Archipresbyteri, & Curati ministrent, prout ad quemlibet ipsorum pertinet, per seipsos, & non per substitutos. Quòd si populus ita numerosus fuerit, vt Archipresbyteri, & Curati, cæteriuè, quibus animarum cura imminet, ad Sacramenta administranda, cæteraquè officia subeunda satisfacere nõ valeant, cogantur per loci ordinarium, duos, aut plures coadiutores sibi adiungere,

re, iuxta decretum Conc. ſeſs. 21. cap. 4. Quòd ſi intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, idoneos ſibi coadiutores non adiunxerint, ad ordinarios facultas eos nominandi deuoluatur. Prohibeaturquè ne quid in Sacramentorum adminiſtratione directè, vel indirectè exigatur, ſub pœnis à iure ſtatutis, alijſque ordinarij arbitrio infligendis; & in Eccleſia cùm ſuperpelliceo, ſtola, & lumine adminiſtrentur; frequentatioquè eorum populis perſuadeatur.

CAP. I.

CVm maximè expediat animarum ſaluti, eas à dignis, atque idoneis Parochis gubernari. Sacra Synodus mandat (vt id rectius perficiatur) cùm vacare contingerit Archipresbyteratus, aut Eccleſia parochialis, vt locorum ordinarij, habita notitia vacationis, intra decem dies, vel aliud tempus ab eis præſcribendum, per edictũ publicum omnes vocare debeant, qui voluerint examinari per cõcursũ, & examine peracto coram examinatoribus, ei, quem cæteris magis idoneum iudicauerint, & non alij collatio fiat;

iuxta formam Sacri Concilij Tridentini, & constitutionis fel. rec. Pij V.

DE SACRAMENTO BAPTISMI Cap. I.

FOns Baptismi ex lapide cõstruatur in cõspicuo loco. Aqua benedicta cum sacro Chrismate in mundo vase clausa seruetur; ministreturque Baptismus in Ecclesia, & non in priuatis domibus, nisi aliter necessitas cogat. Vbi autem necessitas vrget, vt extra Ecclesiam quis batizetur, tùm, si adest sacerdos, ipse baptizet, quia ad ipsũ præcipuum id munus pertinet, post eum clericus, post quem laicus, vltimo loco fœmina. Vtanturque Sacerdotes, & omnes isti (vt supra) forma Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen: quod curatus materna lingua sæpe populum sibi commissum edoceat. Compater sit vnus, vel vna, ad summum vnus, & vna, qui non sint manifestè concubinarij, vsurarij, & inconfessi eo anno, vel excõmunicationis vinculo irretiti, & qui fidei rudimenta non ignorent; similiter clericus in

sacris

ſacris, aut regulari, monialis vè, vt familiaritatis occaſio tollatur: taleſque ſint, vt ſi cura parentum deſit, ipſi debitam diligentiam adhibere poſſint.

CAP. II.

HAbeant Archipresbyteri, & curati, vel hi, quibus cura animarum imminet, librum per Alphabetum confectum, in quo omnium baptizatorum nomina, & cognomina, parentum, atque compatrum propria manu deſcribant, ſimiliter diem, & annum, & an ex legitimo matrimonio infans natus ſit.

CAP. III.

CVrati Græcorum vtantur eo oleo, & Chriſmate, quæ ab Epiſcopo fuerint ad hunc vſum benedicta, non quæ ab ipſiſmet presbyteris fuerint benedicta.

CAP. IV.

QVia nouit humani generis hoſtis in bonis actibus ſuū infundere venenū, non ceſſat quotidie arte ſua peccata

tà apponere medicamentis, ita vt in huius Prouinciæ partibus consuetudo, immo potius abusus, & corruptela irrepserit, vt qui verè compatres non sunt, ita appellentur, & Sacramentum pro necessitate salutis in peccatorum remissionem à Domino nostro Iesu Christo institutũ, ad ruinam, & ad peccata committenda, sub prætextu spiritualis cognationis, sit à Dæmone introductum. Quapropter Sacra Synodus præcipit, & mandat, vt locorum ordinarij curent, vt abusus iste penitus euellatur à tota Prouincia, pœnis contra inobedientes, eis melius visis impositis.

DE SACRAMENTO Confirmationis. Cap. I.

Doceant Archipræsbyteri, & Curati, quantum sit Sacramentum confirmationis, quod ab Reuerendissimis Episcopis confertur, moneantque, vt cum possunt, illud suscipiant, non tamen minores septem, vel saltem quinque annis: maiores verò confiteantur, vel peccata detestentur, & confitendi propositum habeant. Si minoribus ministrabitur, parentes illos de ea re certiores faciant, ne ipsis mortuis, hoc Sacramentum, quod reiterari nefas est, susci

piant

piant. Compaternitas in tenẽdo acquiritur, nec minus æſtimanda quàm quæ ex baptiſmo oritur. Cõfirmandus non teneat. Patrini nõ ſuſcipiant niſi vnũ, vel vnam vel ad plus duos, cõfirmandos, & qui fidei rudimenta ſciant.

CAP. II.

Confirmatorum, & Patrinorum nomina, & cognomina certo libro ſcribantur, & in Archiuio Epiſcopali conſeruentur. Maſculus maſculum, & fœmina fœminam, in confirmatione detineat, niſi aliter ex iuſtis cauſis loci ordinario videbitur.

CAP. III.

Et vt tanti Sacramenti percepitio dignè, ac reuerenter peragatur, vt in primitiua Eccleſia obſeruatum legimus ſuſceptores ipſi neque ijs, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus quicquam omnino largiantur, ne cuiquam, quod aliquando commiſſum eſt, iterandi hoc Sacramentum (quod nefas eſt) materiam præbeat.

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ Sacramento Cap. I.

AD sacrosanctam Euchariſtiam frequenter ſumendam sacerdos hortetur, & antiqua Eccleſiæ, ac laudabilis conſuetudo communicandi populo prædicetur: illam in decẽti loco, & vaſe conſeruet, vt decet. Lampas ſit ſemper accenſa, & ſi non adeſt ſocietas, inſtituatur: Sociantibus, cùm ad ægros, vel proceſsionaliter defertur, quadraginta dierum indulgentiam epiſcopi concedat. In delatione, sacerdos ſtola cum pluuiali vtatur, ad minus ſuperpelliceo, & ſtola: vmbella adhibeatur. Octauo quoque die Archiptesbyteri particulas omnes in pyxide reſiduas aſsumant, & alias conſecrent.

CAP. II.

IN Paſchate in maiori Eccleſia, aut parochiali, quilibet hoc Sacramentum ſumat, & in vaſe, quod tamen calicis formam non habeat, vinum pro ablutione tradatur. Cõfeſsarij pęnitentes moneant vt ſaltem per diem ſeperati maneant viri ab eorum vxoribus. Maribus prius, tum fęminis ſacra communio miniſtretur, & loco diſtincto.

CAP-

C A P. III.

Archipresbyteri, confessarij & curati post octauam Paschatis fideliter deferant nomina eorum, qui propriæ salutis immemores, sanctissimam Eucharistiam non sumpserunt. Quòd si negligentes fuerint, Episcopi arbitrio grauiter puniantur.

C A P. IIII.

Tollatur abusus obsignandi sigillis sepulchrum Domini nostri Iesu Christi, quod quinta feria in Cæna Domini erigitur.

C A P. V.

Non asportetur hoc sanctissimum sacramentum adorandi causa ad infirmos, qui illud sumpturi non sunt: si verò dum ad eos defertur per Parochum, infirmum ita morbo affectum inueniat, vt tunc rite ministrare non possit, pyxide super corporale in mensa collocata, paulullum immoretur genibus flexis, vnà cum ægroto, & cæteris, qui ad sunt, deuotè orans; discessurus, Eucharistia pyxide inclusa ægroto benedicat. Quòd si ægrotus optauerit, poterit sacramentum aperta pyxide ostendere adorandum.

CAP. VI.

ARceantur infames, facinorosi, manifestisque criminibus, & flagitijs illaqueati, non tamen negetur hoc sacrosanctum Christi corpus reis vltimo supplicio damnatis, quos parochi moneant ad tolerandum supplicium, eosque doceant, etsi in naturalibus non meremur, neque demeremur, si tamen patienter subibunt mortem, ad peccatorum remissionem eis prodesse. Curent locorum ordinarij, vt magistratus eo die, quo sanctiss. Dñi corpus sūpserint, supplicio reos ne afficiant.

DE SANCTISSIMO MISSÆ Sacrificio Cap. I

SAcerdotes sæpè confiteantur, si copia sacerdotis adsit: & nisi necessitas vrgeat, non celebrent, nisi matutinum, & primæ horæ diuinum officium persoluerint: nihil super altare ponant: Hostia sit recens: calix purus: corporalia, atq; alia indumēta omnia sint nitida, & couenietia cæremoniæ secundū vsū Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: non celebretur in ædibus priuatis, nec in Oratorijs, nisi approbatis, quæ ab omni vsu profano sint remota; nec superaillis quispiam habitare præsumat: non ante auroram, nec post me-

ridiem

ridiem, prærerquàm in die Sanctisſimæ Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

CAP. II.

SAcerdotibus alienæ diœceſis non permittatur ſacrum facere,niſi certas,recentes,& legitimas ſui ordinarij dimiſſorias litteras habeant.Si verò alijs in locis commoratos ſe aſſerant,ad celebrandum non admittantur, niſi illorum locorum, quo diuerterunt, teſtimonio eorum mores,& vita probata fuerint; & prius examinentur à Vicarijs, an bene periti,& inſtructi ſint. Qui cùm celebrant, non faciant aliquem actum indecorum, nec vllam auaritiæ cupiditatem oſtendant.

CAP. III.

NEmo alterius horam perturbet. Antequàm ad altare accedant,Miſſam præuideant. Miſſæ horam populo commodam non anticipent,aut differant,nec inchoatam ad alicuius aduentum repetant, nec in Altari expectent.

CAP. IIII.

IN nouis Miſſis inuitationes,aut importunæ,aut illiberales eleemoſynarũ exactiones potius, quã poſtulationes, nõ fiãt In Altaribus ità propinquis non celebretur, ne mutuò ſe impediant celebrantes

ſed vnus poſt alium. Sacerdotes ſeruien-tes ſodalitatibus non celebrent ante cu-ratos. Plures eleemoſynas pro celebran-da Miſſa non accipiant. Dum ad Altare vadunt, vel peracto Miſſę ſacrificio, reuer tuntur, nemini caput aperiant, aut ſalu-tent. Miſſam aperto capite celebrent, moneantque curati, vt qui famulos ad pa ſcendos greges habent, eos ad ſacrum au diendum diebus feſtiuis venire permit-tant eorum conſcientiis onerantes.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Cap. I.

IN Sacramento Pœnitentię, & in ſacramentali confeſſione, non ſe intromittat aliquis ſæcularis, vel regularis, niſi ętate, ſcientia, atque prudentia præditus ſit, & præuia ac cedente approbatione Epiſcopi, quæ gra tis detur. Approbatorum nomina, & co-gnomina in tabella deſcribantur, quæ in Eccleſia affigatur, vt facilè ab omnibus conſpiciatur.

CAP. II.

COnfeſſiones audiantur in Eccleſia, & loco conſpicuo, maximè fœminarũ, ſed non noctis tempore, niſi aliter neceſ-ſitas poſtulet. Et in qualibet Eccleſia ſint

con-

confessoriola, sed non teneantur in capellis. Caueant sacerdotes, ne à casibus in Bulla Cœnæ Domini reseruatis absoluant, nec etiam ab eis, qui locorum ordinarijs de iure, vel consuetudine reseruantur; qui ne ignorentur, in principio Quadragesimæ publicabuntur. Notentque diligenter, quæ de publica pœnitentia in sancta Tridentina synodo statuta sint sess. 24. cap. 8. ne in priuatam commutent sine ordinarij scripto.

CAP. III.

ARchipresbyteri pluries in anno doceant populum, vt saltem semel in anno quilibet confiteatur, secundum Innocentij III. decreta. De pœn. & rem. c. omnis vtriusque. Confessionem nullus audeat directè, vel indirectè reuelare. Qui autem suæ salutis immemor, de hoc grauissimo crimine conuictus fuerit, deponatur, & ad agendam pœnitentiam perpetuam detrudatur.

CAP. IV.

CVrati populum sæpius moneant, vt proprio sacerdoti confiteantur, & ad alia loca non diuertant ad eorum cõfitenda peccata: quòd si id fecerint, præcepto Ecclesiæ non obtemperasse sciant.

Quapropter, vt fallacijs occurratur, mandat sacra Synodus Confessarijs omnibus, tam sæcularibus, quàm regularibus, sub pœna priuationis officij confessionis, & alia, Ordinarij arbitrio infligenda, vt pœnitentes alienæ diœcesis absque Ordinarij licentia non audiant, præsertim diebus hebdomadæ Passionis, & Paschatis, vsque ad Dominicam in albis inclusiuè: quòd si quis extra patriam in longinquis partibus confessus fuerit, & si probabili, scriptaque fide testatum faciat se præcepto Ecclesiæ obtemperasse, denuò confiteatur proprio sacerdoti.

CAP. V.

Caueant circa vsurarios, & concubinarios, ne per plures annos fallaci spōsione de restituendo, & dimittendo facta, & nunquam obseruata decipiantur. Nihil exigant à confitentibus: si verò aliqua pœnitentia pecuniæ ratione præscribenda est, non nisi ex grauissima, & nacessaria causa imponant; & non sibi, sed pauperibus, pijsque locis attribuant; missasque non sibi, sed alijs Sacerdotibus pauperibus dari ci[illegible]ent. Male ablata à confitentibus data, Ordinario consignentur; & tam consignatio, quàm distributio cum No-

* hoc [illegible] a [illegible] Tom. [illegible] Tract. 6. cap. XI. q. [illegible]

Notatij,& testium præsentia fiat.

CAP. VI.

MEdici, quod in Lateranensi Concilio,& demum à fel.recor.Pio V.statutum est de ægrorum visitatione, seruēt, vt confiteantur intra triduum, aliter curationem deserant: quòd si negligentes fuerint,Parochi ad Ordinarium deferant.

DE SACRAMENTO ORDINIS

Cap. I.

QVi prima tonsura, quatuor minoribus,alijsue maioribus Ordinibus initiari volunt,habeant requisita à sacro Cōcilio Tridentino,& alia in Constitutione nuper edita à sanctissimo Domino Nostro D. Sixto Papa Quinto,si tàm Collatores ordinum, quàm hi, qui illos suscipere volunt, pœnas in dicto Cōcilio Tridentino contentas,& in dicta Constitutione inflictas,effugere velint.Ordinum recipiendorum dimissoriæ certo libro registrentur.

SESSIO TERTIA

CELEBRATA DIE IOVIS, XII. Mensis Octobris 1589.

DE SACRAMENTO MATRIMONII, Cap. I.

CIRCA Matrimonium celebrandum, quater, aut quinquies legant Curati quolibet anno vulgari sermone decretum, Tridentinæ synodi Sess. 24. de clandestinis Matrimonijs; denuntiationesquè seruent, remittendi facultate eis penitus interdicta; quæ fiant Dominicis, & solemnibus festiuis diebus, quę Ecclesię præcepto seruantur. Mutuo consensu intellecto, his verbis vtantur; Ego vos in matrimo-

trimonium coniungo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Et eos ne iungant, qui fidei rudimenta ignorant.

CAP. II.

PArochi contra Matrimonij libertatẽ directè, vel indirectè inuitos non admittant, siue cogant sub anathematis pœna ipso facto incurrenda. Librum conficiant, in quo omnium contrahentium & testium nomina & cognomina, diem, annum, & mensem describant, quem apud se diligenter custodiant, & elapso anno, loci Ordinario consignent; in Archiuio asseruandum. Hortentur contrahentes ad Confessionem, & Eucharistiæ sumptionem saltem triduo ante Matrimonij cõsummationem: & si aliquis ex iunctis Matrimonio abfuerit, alter non contrahat, nisi certa alterius morte ab Episcopis earumuè Vicarijs, & Officialibus comprobata. De vagabundis seruetur quod à sacra synodo Tridentina statutum est Sess. 24. cap. septimo.

CAP. III.

VT scandalis obuietur, quæ multoties ex sponsorum cohabitatione exoriũtur, sposus ne ad sposæ domum accedat, nisi semel in initio sponsaliorum, &

& visitationis causa simul cum cõsanguineis, aut affinibus; ne ve cum sponsa damnabiliter viuant, nec in eorum domibus seu alibi conuersentur, aut cohabitent, ante sacerdotalem benedictionem, quæ non detur nisi in Ecclesia, & cum Missæ celebratione. A benedictione secundarum nuptiarum abstineat Parochus, cùm illa benedictio reiterari non possit.

C A P. I V

DOceant Parochi populum, sublatum esse impedimentum publicæ honestatis à Tridentina Synodo, vbi sponsalia valida non fuerunt, & cùm valida fuerũt, primum gradum non excedere. Impedimentum verò, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, primum & secundum gradum non excedere. c. 24. Sess. c. 3. & 4.

C A P. V.

ARchipræsbyteri & curati doceant populum materna lingua, præter impedimenta publicæ honestatis ac affinitatis, ex fornicatione contractæ, & quę ex cognationis spiritualis sacri Baptismi, & Confirmationis sacramentis exoriuntur,

alios

alios adesse casus à sacris canonibus enumeratos matrimonia impedientes, & cõtracta dirimentes.

CAP. VI.

PArochi Matrimoniorum benedictiones sub baldachino, sub quo deferri consueuit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, non celebrent, nec in monialiũ Monasterijs oscula, & amplexus in Ecclesia permittant. Verba ad benedicẽdũ ipsi proferant, nõ spõsus. Spõsis sub anathematis pœna prohibeant, per vnam Ecclesiæ ianuam intrare, & ab alia exire; maleficia & fascinationes ad impedienda matrimonia, vel dirimenda adhibere, aut superstitionibus vti: moneantque eos, ne alijs anni temporibus, quàm à sacro concilio Tridentino prohibitis, à nuptijs contrahendis abstineant.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ * vnctionis. Cap. I.

CVratus extremæ Vnctionis sacramentum non differat, donec ægrotus amissis sẽsibus animam agere incipiat, sed eis integris, & rationis vsu vigente, cùm alia sacramenta iam perceperit, illud conferat; huiusque sacramenti vtilitates explicet; & nel

* Laudanus hoc decretũ in Synodo dioeces. Vigilien: an. 1594 Tit: XIII. cap: I. pag: 23.

semel in vna infirmitate tribuat; nisi illa longa existente, pluries vitæ periculū salutisque spes insurgeret; Et in actu vnctionis verba consueta proferat: Presbyterorum palmas non intus, sed foris inungat: Horteturque astantes, vt preces pro ægroto tunc Deo fundant; non deferatur absque cruce, & lumine.

C A P. I I.

SEruetur in vase congruo, & clauibus claudatur, distinguatur vas per litteras, vt à vasibus olei cathecumenorum, & sacri Chrismatis dignoscatur. Agonizantibus Confessarij assiduè assistant, eos adiuuando, & consolando. Episcopi singulis annis sanctum Chrisma, Oleum cathecumenorum, & infirmorum conficiant: vetera non in lampadibus, sed in sacrario crementur.

DE VITA, ET HONESTATE Clericorum. Cap. I.

MEmores sint sacerdotes, & ministros, & dispensatores esse ministeriorum Dei; & studeant igitur exemplo vitæ alios antecellere, & ad vias Domini eos incitare. Qui itaque librorum copiam habere non possunt,

ſunt, habeant ſaltem ſacrum Cathechiſmum Romanum, & libellum illum, qui vulgo dicitur, Auiſi de Curati, aliamuè ſummam.

CAP. II.

QVi beneficia poſſident, etiam ſimplicia. intra menſem ad ſummum clericalem habitum ab Epiſcopis locorum conſtitutum, ſuæ dignitati congruentem, gerant, non ſordidum, non exquiſiti cultus ſtudioſum: non induant caligas deſectas, aut turgidas; non vtantur caligis inciſis; camiſiæ ad manus, ſeu ad collum, nō ſint rugoſæ; pileo non vtantur turbinoſo, & laicali, ſed vt clericum decet, non autē in Eccleſia. Barbam à ſuperiori labio incidant, ne ſanguinis Chriſti ſumptionem impediat; & eam ſtudiosè non nutriant, morequè laicorum aſportent, ſed ſimplicem cultum adhibeant.

CAP. III.

IN itinere talis ſit habitus, vt Clerici eſse cognoſcantur: arma non deferant, niſi loci ſint ſuſpecti, & de Ordinarij licētia, eaq; ſint honeſta, & defenſiua. In comœdijs, coreis, & vanis ſpectaculis, ludicriſuè, non interſint: ab illicitis venationibus, & cantilenis abſtineant: non

ſint

ũnt vagantes, de nocte, nec sine lumine, vadant, etiam causa necessitatis, si foras exire debent: non ludant aleis, aut taxillis, aliò ve ludi genere prohibito, nec ludentibus assistant, aut spectent: Procuratoris, Aduocati ve officium non exerceant, nisi in casibus permissis, cum ordinarij licentia: tabellionatus munere in profanis causis non vtantur: medicandi artem nullo modo exerceant: laicis non famulentur, absque ordinarij licentia in scriptis: fœminas suspectas domi non habeant: mercaturam non exerceant, ne ve proxenetæ officij in vendendis, aut emendis rebus fungantur. Qui vero aliter fecerint, Ordinarij arbitrio puniantur. Mulieres cuiuscumque conditionis non audeant associare, nec ad brachium ducere, aut eis famulari.

C A P. I I I I.

CLerici omnes sæpè celebrent, seu cõmunicent, seruata formam Concilij Tridentini; Concionibus, seu lectionibus intersint: in mensis & conuiuijs temperantiam adhibeant: In mortuarijs superpelliceo vtantur, nec recedant, nisi finito sepulturæ officio: & in Ecclesijs manus chyrothecis non induant; cum cruce erecta,

cta,& processionaliter ad proprias Ecclesias reuertantur. Contrafacientes distributionibus,& emolumentis careant.

CAP. V.

CAueant etiam in mensis,ne scurrilia, aut ridicula recitent,quæ à grauitate sacerdotali sint aliena:cibum sumpturi mensam benedicant;sumpto verò,gratiarum actiones pro beneficijs acceptis Deo referant.

CAP. VI.

ANnulis non vtantur, nisi aliud dignitatis vel honoris ratio postulet, & tunc vno solo, & digito dexteræ manus quarto.

DE CVRATIS. Cap. I.

CVrati diebus Dominicis, & festiuis pulsata campana doctrinam Christianam pueros doceant, moneantquè, quod sit officium filij erga patrem,viri erga vxorem, & sic de similibus: & qui minus valent ingenio, vulgari sermone aliquam partem Cathechismi legant, præsertim salutationem Angelicam, Pater noster, Symbolum Apostolorum, & decem præcepta legis. Cum

DE REGVLARIBVS. Cap. I.

REgulares tales in charitate, fide castitate, vero & opere se exhibeant, vt & cooperarios se esse demonstrent. secundum Tridētini Concilij decretū. Sacræ scripturæ lectionē in eorum Cōuentibus habere curent, vt verbo, & exemplo non solùm fratres, sed & alij Christi fideles instruantur. Per ciuitatem non deambulent, nisi bini, & cum habitu eorum ordini congruente: domos suspectarum mulierum nòn ingrediantur, aut cū eis colloquiū. cōuersationemùe vllam habeāt. In eorū Monasterijs, ecclesijùe nullatenus docere audeant pueros grammaticam, illosùe cum eis pernoctare, conuersariue. Noctis tempore ne vagentur per ciuitatem, nisi de licētia eorū superioris, & bini, facibus accēsis. Intra clauſtra Monasterij non admittant mulieris cuiusuis dignitatis, & gradus, si pœnas, & censuras contentas in Constitutionibus summorū Pontificum fel. rec. Pij V. & Gregorij XII. euitare voluerint.

CAP. II.

EXcessu Regularium extra monasterium degentium puniantur per ordinarios locorum: si verò intra monasteriũ degunt, extra tamen Monasterium deliquerint, & populo scandalo sint, infra præfiniendum tempus puniantur ab eorum superioribus; quòd si in illis puniendis negligentes, & desides fuerint, puniantur per ordinarios locorum, seruata forma decreti sacri Concilij Tridentini. Sess. 25. cap. 14.

III.

CAueant tam clerici sæculares, quàm regulares, bannitos, facinorosos vè homines receptare, victũ, aliauè necessaria eis præstare. Qui verò receptauerint, excommunicationi subdantur, prout in Constitutionibus nuper editis à sanctissimo Domino nostro D. Sixto Papa Quinto. Si clerici sæculares fuerint, alijs pœnis arbitrio ordinarij infligendis puniantur.

IV.

AB eorum monasterijs absque licentia sui superioris, in scriptis obtenta, ne discedant. Qui contrafecerint, carceribus mancipentur, & interim eorum superiores

res de dicta carceratione certiores reddantur.

CAP. V.

IN exemptorum causis seruetur Constitutio Innocentij Quarti, quę incipit; Volentes: & in causis ciuilibus mercedũ, & miserabilium personarum, tàm clerici sæculares, quàm regulares, etiam si certũ iudicẽ à sede Apostolica deputatum in partibus habeant, si tamen extra monasterium degunt, coram ordinarijs locorũ conueniantur; similiter in alijs, si certum iudicem non habuerint, iuxta Concilij Tridentini decreta sessione septima cap. 14.

CAP. VI.

REgulares, qui nullam habent curam animarum, sponsos ne benedicant, item mulieres à partu ad Ecclesiam venientes, sed Parochi, quia eorum propriũ munus est: Eis sub pœna excommunicationis sacra synodus mandat, ne in huiusmodi officijs ad eos non spectantibus vllo pacto se ingerant. In eorum Ecclesijs mortuorum cadauera absque Parochi præsentia non sepeliant, sub pœna interdicti.

CAP. VII.

CAueant Regulares omnes sub pœna excommunicationis & priuationis Officij absoluere à casibus, quos expressè locorum Ordinarij sibi reseruarunt, virtute Priuilegiorum eis concessorum, quæ Mare magnum vocant, alio ve prætextu, etiam Rosarij; sacris Canonibus, & declarationibus desuper factis per Illustrissimos DD. Cardinales, sacri Concilij Tridentini interpretes obsistentibus.

DE MONIALIBVS Cap. I.

MOniales regulas sui Ordini, cui adstrictæ sunt, frequēter legant; & executioni mandent, quæ eis ab earum superioribus ordinata sunt: quod Monasterij præfectæ curæ esse debet, & præcipuè clausura; circa quam si negligenter se gesserint earum superiores, sciant diuini se iudicij obtestationem; & maledictionis æternæ exterminationem, subituros.

CAP. II.

NEmo Virgines cogat ad professionē sub excommunicationis pœna; & die quo Monasteria ingrediuntur, consuetudinem in illis vestiendis, & ordinandis ob

rogamus,cùm iam se Deo dicarint, mundiquè ornatum dereliquerint, sed habitū album induant.

CAP. III.

NVllus in eorum Ecclesijs celebret, nisi ei facultatē faciat, qui illis præest;nec aliquis, etiam sanguine coniūctus, audeat cum Monialibus confabulare, nisi ex necessaria causa, & cum Ordinarij licentia,eaquè in scriptis tradatur. Ante decimumsextum annum expletum nulla ad professionem admittatur, nec quæ per annum,post habitum susceptum, in probatione non steterit, quæ ve Officium dicere nesciat; cuius voluntas ab Ordinario priùs exploretur: quod in exemptorum Monasterijs ordinarij obseruari procurent,iuxta sacri Concilij Tridentini præscriptum.De regularibus,Sess. 25. cap. 17.

CAP. IV.

VBi certus non est præfixus numerus monialium, quamprimùm præfigatur,qui ex monasteriorum redditibus cōmodè sustentari possit, iuxta decretum Concilij Tridentini. Eadem sess. cap. 3. & Constitutiones Pij V.& Gregorij XIII.

CAP. V.

SIt in vno quoque monasterio ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, & si non adsit, quamcitiùs construatur, atque ædificetur similiter locus careri destinatus, vt quas timor à malo non reuocat, coerctionis, pœnæquè formido exterreat, atque reprimat.

CAP. VI.

MOniales omnes ad matutinas horas conueniant, quas non noctis tempore, sed in aurora recitabunt, absque cantu figurato, musicis vè instrumentis. Canendi, & pulsandi artem, grammaticam, vè, nulla addiscat, ne ve exerceat, absque Episcopi licentia. Singulis mensibus sua peccata confiteantur, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; vt eo præsidio muniant se ad omnes dæmonis oppugnationes fortiter superandas. Eis præter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ter in anno offeratur, qui omnium cōfessiones audiat.

CAP. VII.

ABbatissæ pro bono regimine monasterij, sub pœna priuationis officij, & alia arbitrio Episcopi imponenda, singulis annis procuratorem & administratorem

rem bonorum monasterij eligant, bonæ vitæ, conditionis, & famæ, ætate prouectũ non facultatibus lapsum, & à loci Ordinario approbandum; quem in fine cuiuslibet anni modis omnibus curẽt, eorumdẽ bonorũ administrationis rõnem loci ordinario reddere, adhibitis duobus probis viris, & si fieri poterit, consanguineis, aut affinibus alicuius ex monasterij monialibus.

DE ECCLESIIS. Cap. I.

IN Ecclesijs de rebus profanis Cõgregationes aut publica colloquia non fiant, nec in earum atrijs cemcterijs ve, & vestibulis aliquid venale proponatur, nec pila ludatur, nec choreæ, aut spectacula agantur, neque per ea fiant deambulationes, neque mendici vagentur, dum diuina celebrantur. Stabula animalium procul sint ab Ecclesijs, & cœmeterijs, reparentur etiam in illis, quæ reparatione indigent; & qui negligens erit, duplo eius quod in fabricæ reparatione fuisset impendendum, puniatur. Quòd si ob illarum paupertatem reparari non poterunt, seruetur decretum sacri Concilij Tridentini, Sess. 21. cap. 7.

Lapi-

Lapides, cæmenta, & omnis eorum locorum materia, absque Episcopi actoritate, ad ædificia profana non adhibeantur.

CAP. II.

CAlices paramenta, libri, & cętera sint conuenientia. Circa horam nonam pulsetur campana, vt fideles ea excitati Dominicam Orationem, & Angelicam salutationem, genuflexi deuotè recitent, & sic ter in die Deum venerentur; & circa duas horas noctis similiter pulset cāpana mortuorum pro suffragando eorum animabus. Quibus hæc facientibus quadraginta dierum Indulgentiam ordinarij locorum concedant.

CAP. III

IN Ecclesia ità sedeant, vt sanctissimam Eucharistiam à tergo non habeant. Et vbi non sunt, fiant sepulturæ; vbi verò haberi non posunt, in cœmeterijs corpora mortuorum condantur, & in eis ventilari, pannos ve lineos aqua madefactos poni omnino prohibeat, iuxta Innocentij Tertij. Pontificis statutum.

CAP. IV

SClopetta, balistæ, aut hastata arma in Ecclesijs non deferantur, nisi custodiæ causa aliud Ordinarius iusserit. Earum fo

res

res post Solis occasum claudantur, sub pœna Episcopi arbitrio imponenda.

DE IEIVNIO ET eius obseruatione. Cap. I.

CVm omnequod in mūdo est, aut concupiscentia carnis, aut oculorū sit, aut superbia vitæ, cuis non videt cōcupiscentiæ carnis nulla re melius, quàm ieiunio; concupiscentiæ oculorum (quæ auaritia est) quàm eleemosyna, & fastui vitæ, quàm humili, & pia oratione mederi? Et cum omnis ferè peccator & in Deum, & in proximum, & in seipsum peccet; oratione, quod in Deum commissum est; eleemosyna, quod in proximum; ieiunio verò, quod in se ipsum peccatum est, quodammodo expiatur. Sacri denique Canones, ac propterea sancta Tridentina synodus Pastores omnes exhortatur atque obtestatur, omnem adhibere diligentiam ad fideles cohortandos, vt ea quæ ad domandam carnem conducunt, præsertim ciborum delectum, & ieiunium, omni studio amplectantur. Omnes ergo abstineant se

à car-

a carne ceterisquè omnibus, quæ à carne trahunt originem, vt ouis, lacte, caseo, butyro, & huiusmodi, per totam Quadragesimam, & alia præscripta, vt supra tẽpora.

C A P. I I.

TOta Quadragesima igitur, Dominicis diebus exceptis, quatuor anni temporibus, ac omnibus indictis, præceptisquè Sanctorum vigilijs, omnes ieiunij legi obnoxios se esse cognoscant; exceptis ijs, qui vel vrgenti necessitate, vel imbecilla ętate, morbo ve aliquo, alia ve iusta causa, sint impediti, quibus accedente fide vtriusque medici, vetiti vescendi licentia non denegetur.

C A P. I I I.

CVpimus Populum admonitum esse, illos quadraginta dies, totius anni decimam, in oblatione ieiunij pro fidelium omnium salute consecrari. Caueant autem ieiunij cultores, ne dum vetitis cibis abstineant, aliarum rerum delicias, luxuriamque consectentur; immò vero moderato cibo, & potu carnis vitia coerceant, vt liberi mentes ad cælestium rerũ amorem, & contemplationem erigant, & ad pietatis opera expediti inueniantur. Nam homini parum prodest, se per ieiunium

nium cibo temperasse, si animus in peccatis sit intemperans. Idcirco fideles in ieiunio præcipuè studeant, vt dum caro ab alimentis abstinet, mens pariter à culpa ieiunet: Omnes igitur in Dei laudibus, eleemosynis, alijsque pijs officijs occupentur; hoc est enim ieiunium, quod precipuè se Dominus Esaiæ ore delegisse testatur.

CAP. IV.

IEiunia ergo ab Ecclesia indicta reuerenter obseruari volumus, admonendùmquè populum, cur sint instituta, nempe, vt corpus per temperantiam cibi; ac potus castigetur, in seruitutemquè redigatur, quo animus vegetior ac liberior laudibus diuinis assistat, eui neque voluntati sese attemperet. Magnum certè, & generale ieiunium est abstinere ab omnibus inipuitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, iam cùm in ieiunijs, & actio potius indictionis, quàm abstinentia ista à carnibus spectetur. Admonendus est etiam populus, cum ieiunandum erit, nō minus sumptuosa, & prolixa illa pisciumi fercula, quàm carnium vitanda; bellaria item illa magis, quàm carnes inflammantia.

DE

DE INVENTARIO CONFICIENDO bonorum Ecclesiasticorum. Cap. I.

PRo bonorum Ecclesiasticorum conseruatione, mandatur omnibus capitulis, & beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura obtinentibus, vt infra duos menses post synodi huius confectionem, inuentarium omnium bonorum mobilium & immobilium ad eorum Ecclesias pertinentium conficiant, singulis tribus annis renouandum, ita vt fines & conditiones bonorũ, & prædiorum diligenter notentur, iuxta Cõstitutionem nuper editam per sanctissimum D. N. D. Sixtum Papam V. Cancellarioquè Ordinarij tradant, vt in Archiuio seruetur, cuius copiam in eorum quoque Ecclesijs diligenter retinebunt. Volumusquè etiam, vt prima Dominica Aduentus, & prima Quadragesimæ quolibet anno in Missa maiori legatur vulgari sermone decretum sacri Concilij Tridentini contra occupantes bona Ecclesiastica sess. 22. cap. 11.

DE

DE HOSPITALIBVS & pijs locis. Cap. I.

ADministratores Hoſpitalium, Cōfraternitatum, fabricarum Eccleſiaſticarum, piorumquè locorū, quolibet anno locorum Ordinarijs eorumque Vicarijs rationem reddant, vt conſtet, quomodò fructus eorum locorum erogati fuerint. Quibus ſacra Synodus mandat, vt decreta, & prouiſiones à ſanctiſſimo Domino noſtro D. Sixto Papa V. Reuerendiſſimis Epiſcopis deſuper transmiſſas, executioni mandent, & illa modis omnibus inuiolabiliter obſeruari procurent, ſimiliter, & decreta ſacri Concilii Tridentini.

CAP. II.

NE mali homines bonos inficiant, in Confratrum numerum non adſcribantur homines facinoroſi, alia ue infamiæ nota aſperſi: ſi qui verò aſcripti reperiuntur, & vitam non compoſuerint, honeſtæque vitæ rationibus non conformauerint, Epiſcopi auctoritate amoueantur, & in alijs non admittantur.

CAP. III.

Confratres omnes habitum congruẽtem habeant, sua officia subeant, processionibus intersint, & qui bis moniti nõ paruerint, de confratrum numero deleantur, & amoueantur, & alijs confraternitatibus non adscribantur.

DE LEGATIS AD PIAS causas. Cap. I.

Notarios omnes, quorum negligétia legata ad pias causas, quæ suam effectum sortita non sunt, occulta manent, & quasi cum defuncti cadauere tumulata, sacra Synodus monet, vt infra tres menses post Synodi promulgationem, Episcopis eorum ve Officialibus significent: in posterum verò intra mensem post testatoris mortem tradant, sub pœna excommunicationis, honesta mercede accepta: & vt eorum memoria non depereat, certo libro ad id deputato describantur manu Notarii, in quo legatum, dies, annus, & testes notentur.

*Laudat in synodo vigiliani in anno 1651 tit. XIX. c. I. p. 30.

DE

DE LVDIMAGISTRIS. Cap. I.

LVdimagiſtri, qui publicè, vel priuatim pueros, aut adoleſcentes docere volunt, id opus non aggrediantur, niſi prius iuxta ſacri Tridentini Concilii præſcriptum ac Pii Quarti formulam, fidei profeſſionem emiſerint. Ante verò, quàm hi præficiantur, de vita, & moribus bonum habeant teſtimonium. Libros omninò obſcenos non exp anent, ſed ad fidei Chriſtianæ doctrinam illos, præſertim diebus feſtiuis, informare ſtudeant, & ſingulis menſibus ad Eucharistiæ ſacramentum ſuſcipiendum hortentur.

CAP. II.

SAcra Synodus, ne eos, quos mater Eccleſia peperit, & quæ Cōcilium Trid. mandauit, obliuiſci videatur, optaret, vt pro illorum executione, & pauperum ſubſidio, ne eis legendi, & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, erigeretur ſeminariū Clericorum; ſed reſpiciens, quòd propter tenuitatem redditūum Eccleſiarum, ac paucitatem beneficiorum totius Prouinciæ

ciæ

ciæ,id opus aggredi non potest, mandat, & præcipit,vt in vnaquaque Ecclesia Cathedrali magistri conducantur Grammaticæ, Ecclesię; vel vniuersitatum stipendio,qui gratis clericos, & alios pauperes doceant, aut prouideatur eis de aliquo competenti beneficio.

DE ERRORIBVS GRAECORVM tollendis. Cap. I.

CVrati Græcorum ad populi sibi comissi notitiam deducant Bullam fęl. rec. Pij Quarti,quę incipit:Romanus Pontifex:illumquè doceant Purgatorium esse, animasquè ibi detentas eorum, qui suscepta pœnitentia, & ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tantùm decedunt, purgari post mortem, & Ecclesiæ suffragijs posse adiuuari, Romanumquè Pontificem in eis iurisdictionem habere;& pro eo orandum in Missa, non autem pro Pseudo Patriarcha Constantinopolitano schismatico,& hæretico.

CAP. II.

INsuper indulgentias à summis Pontificibus concessas non esse damnandas, nec

nec Ecclesiasticas censuras, & sententias esse spernendas, sanctorumquè festiuitates à S. R. E. Sanctisquè Patribus ordinatas, & alias ex loci consuetudine obseruandas esse. CAP. III.

DOceant etiam, Spiritum sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, à Patre, & Filio procedere, vnum, atque æqualem Deo Patri, & Filio Deum, vnius substantiæ, vnius quoque naturæ; non tamen genitum, nec creatum, sed ab vtrisq; procedentem, qui nec ingenitus, nec genitus creditur; ne si ingenitum dixerimus, duos Patres asseramus, aut si genitum, duos filios prædicare monstremur; qui nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, sed simul Patris, & Filij Spiritus dicitur; nec de Patre in Filium, vel de Filio ad sanctificandum creaturam procedit, sed simul ab vtrisque ab æterno processisse monstratur: nec tamen minor Patre, & Filio habetur, sicut Filius propter assumptam carnẽ minorem se Patre, & spiritu sancto esse testatũ. Qui anathemati subijciatur.

CAP. IV.

ELiminetur abusus conseruandi pro infirmis Eucharestiæ sacramẽtũ in die Cœnæ Domini confectum, vsque in aliũ

diem dictæ Cœnæ Domini; sed singulis octo diebus renouetur, Infantibus nuper natis non exhibeant; nec domi conseruēt. Mortuorum cadauera à sepulchris non eruant, neque comburant. In Baptismi, & extremæ Vnctionis Sacramentis, vtantur Oleo sancto, quod ab Episcopis, in quorum Diœcesi degunt, benedictum est, non autem quod ab ipsis Græcis. Sanctū Chrisma, & sacra olea Cathecumenorum & infirmorum, similiter quæ ab ipsis Episcopis benedicta sunt, suscipiant; & dum illa administrant, alio, quàm Romanæ Ecclesiæ ritu, non vtantur. Confirmationis sacramentū non à presbyteris Græcis, sed ab eorum locis Ordinario suscipiant; Episcopis enim dumtaxat, non alijs, ministrare licuisse temporibus Apostolorum, legitur; atque ita deinceps seruauit & seruat sancta Ecclesia. Extremæ vnctionis sacramentum, tamquàm verum à Christo Domino institutum, & ab Apostolo promulgatū, accipiant. Curati illud infirmis, etiam non petentibus, ministrare non omittant.

CAP. V.

AD sacros verò Ordines à Græcis Episcopis, absque loci Ordinarij licen-

tia

ria obtenta, non promoueantur, & promoti Græco ritu, non autem Latino, Missam, & alia diuina officia celebrent, non in latinorum, sed in proprijs Ecclesijs, neque Latini in Ecclesijs Græcorum, absque loci ordinarij licentia.

SESSIO QVARTA.

CELEBRATA DIE DOMINICO, 15. Menſis Octobris, 1589.

DE RESIDENTIA. Cap. I.

VT nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut conſuetudine aboleantur, quæ de reſidentia ſub Paulo Tertio ſeſs. 6. c. 1. & 11. & Pio Quarto ſel. rec. ſtatuta ſunt ſeſs. 23. c. 1. ſed omnium auribus & mentibus inſigantur: ſacra Synodus ea decreta, tùm hic in ...renda, & publicanda mandauit, tùm in ...iſcopalibus Synodis, per viſcera miſe...ordiæ Dei noſtri obteſtando omnes, ...i reſidere tenentur, vt reſideant, ne ſui ...eris videantur immemores, & ſupe...rum paruipendere præcepta, ſcituri, quòd

quòd si more bonorum Pastorum non resederint, & pro gregis salute non inuigilauerint, animamque profuderint, sed mercenariorum more gregem derelinquentes, & quasi fugientes, præter pœnas in dictis Constitutionibus cõtentas, ouiũ deperditarum sanguinem in tremendo illo iudicio, in quo omnes astabimus, reddituri erunt rationem, & de eorum manibus sanguinem ipsarum esse exquirendũ.

DECRETVM CONCILII TRIDENTINI de residentia, sub Paulo Tertio.

EAdem sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus, Apostolicæ sedis legatis, ad restituendam collapsam admodũ Ecclesiasticam disciplinam, deprauatosq; in Clero, & populo Christiano mores emẽdandos se accingere volens, ab ijs, qui maioribus Ecclesijs præsunt, initium censuit esse sumendum: integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, prouidamque ipsius Dei in terris Vicarij solertiam omninò futurum, vt ad Ecclesiarum regimen, onus quippe Ange-

licis humeris formidandum, qui maximè
digni fuerint, quorumquè prior vita, ac
omnis ætas à puerilibus exordijs vsque
ad perfectiores annos, per disciplinæ sti-
pendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta,
testimonium præbeat, secundum venera-
biles beatorum Patrum sanctiones assu-
mantur: omnes Patriarchalibus, Prima-
tialibus, Metropolitanis & Cathedralibus
Ecclesijs quibuscunque, quouis nomine,
ac titulo præfectos, monet, ac monitos
esse vult, vt attendentes sibi, & vniuerso
gregi, in quo sicut dicitur Act. 10. Spiritus
sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei,
quam acquisiuit sanguine suo, vigilent, si-
cut Apostolus præcipit 2. Tim. 4. in om-
nibus laborent, & ministerium suum im-
pleant: implere autem illud se nequa-
quam posse sciant, si greges sibi commis-
sos mercenariorum more deserant; vt di-
citur Ioan. 10. atquè ouium suarum, qua-
rum sanguis de eorum est manibus à su-
premo iudice requirendus, custodiæ mi-
nimè incumbant: cùm certissimum sit,
non admitti pastoris excusationem, si lu-
pus oues comedit, & pastor nescit. At ni-
hilominus, quia nonnulli (quod vehemē-
ter dolendum est) hoc tempore reperiun
tur,

tur,qui propriæ ſalutis immemores, terrenaquè cęleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curijs vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine, ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſsarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum, atque hominum iniuria penè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos, innouare; quemadmodum virtute præſentis decreti innouat, ac vlterius pro firmiori eorumdem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc qui ſequitur, modum ſtatuere atque ſancire. Si quis à Patriarchali. Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine, ſeu iure commiſsa, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia, præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu iuſtis, & rationabilibus cauſis ceſsantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morãdo abfuerit, quartæ partis fructuum vnius anni, fabricę Eccleſiæ, & pauperibus loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum; pœna ipſo iure incurrat. Quòd ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauit, aliam

aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, vt seueriori sacrorum Canonum censuræ subijciatur, Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes; Metropolitanum verò absentē Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nunciū Romano Pontifici denunciare teneatur; qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior, aut minor contumacia exegerit, suæ supremę Sedis auctoritate animaduertere, & Ecclesijs ipsis de pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.

C A P. I I.

EPiscopi inferiores quæuis beneficia Ecclesiastica, personalem residētiam de iure, siue consuetudine exigentia, in titulum siue commendam obtinentes, ab eorum Ordinarijs, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & diuini cultus augmēto, locorum, & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remedijs residere cogantur: nulliq; priuilegia, seu indulta perpe-

tua

tua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur: Indulgentijs verò, & dispensationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus causis tantùm concessis, & coràm ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris: quibus causis nihilominus officium sit Episcoporum, tanquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & cõgruę portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur; nemini, quo ad hoc, priuilegio, seu exẽptione quacunq; suffragante.

DECRETVM CONCILII TRIDENTINI de residentia, sub Pio Quarto.

CVm Ioan. 21. & Act. 10. præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura cõmissa est, oues suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumquè miserabilium personarum curam paternam gerere; & in cætera munia pastoralia

ralia incumbere; quę omnia nequaquàm ab ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more diserunt: sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio, & veritate pascant, & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè, & vtiliter iam ante sub fe. rec. Paulo Tertio sancita fuerunt, in sensus, à sacrosanctæ Synodi mente alienos, trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus cōtinuis abesse liceat; illis inhęrendo declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs quibuscunque, quocunque nomine, & titulo Præfectos, etiam si sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi residentiam, vbi iniūcto sibi officio defungi tenentur; neque abesse posse, nisi ex causis, & modis infrascriptis. Nam cùm Christiana Charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesię, vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem sacrosancta Synodus, has legiti-

legitimę ab ſentiæ cauſas à beatiſſimo Romano Pontifice, aut Metropolitano, vel eo abſente, Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſse approbandas; niſi cum abſentia incideret propter aliquod munus, & Reipublicæ officium, Epiſcopatibus adiunctum; cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit. Ad eundem tamen cum Concilio Prouinciali ſpectabit iudicare de licentijs à ſe, vel à ſuffraganeo datis; & videre, ne quis eo iure abutatur; & vt pœnis canonicis errantes puniant. Inter ea meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum, vt, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem, qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum canonum ſententia non videntur abeſse, quia ſtatim reuerſuri ſunt; ſacroſancta ſynodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis; ſiue continuum, ſiue interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos; aut ad ſummũ, tres menſes excedere; & haberi rationem, vt id ęqua ex cauſa fiat, & abſque vllo

lo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cũ Deo corda pateant 1. Reg. 16. & 3. Reg. 8. cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdẽ interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium Dominici aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere paſtoris præſentia oues debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Dioceſi eos alio vocent.

Si quis autem (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti diſpoſitionẽ, abfuerit; ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidẽtes sub Paulo III. impoſitas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eũ pro rata tẽporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia conſcientia, alia etiam declaratione non ſequuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut, ipſo ceſſante, per Superiorẽ Eccleſiaſticũ illos fabricæ Eccleſiarũ, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacũq;

con-

cõuẽtione,vel cõpositione, quæ pro fru-ctibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum,aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscunque Priuilegijs, cuicunque Collegio,aut fabricæ concessis.

Eadẽ omninò,etiã quò ad culpã, amissionẽ fructuũ,& penas de Curatis inferioribus,& alijs quibuscũq; qui beneficiũ aliquod Ecclesiasticũ curã animarũ habens obtinẽt. sacros.Synod.declarat, & decernit;ita tñ,vt quandocũq; eos causa prius per Episcopũ cognita,& ꝓbata,abesse cõtigerit,Vicariũ idoneũ ab ipso Ordinario approbandũ cũ debita mercedis assignatione relinquant. Discẽdẽdi autẽ licẽtiã, in scriptis,gratisq; cõcedẽdã vltra bimestre tẽpus,nisi ex graui causa, non obtineant.Quòd si per edictũ citati,etiam nõ personaliter,cõtumaces fuerint,liberum esse vult Ordinarijs,per cẽsuras Ecclesiasticas;& sequestrationẽ, & subtractionẽ fructuũ,aliaque iuris remedia,etiam vsq: ad priuationẽ,compellere;nec executionẽ hanc;quolibet Priuilegio,licentia, familiaritate,exemptione,etiam ratione cuiuscumque beneficij,pactione,statuto, etiam iuramento,vel quacumque aucto-

ritate

ritate confirmato, consuetudine, etiam
immemorabili, quæ potius corruptela
censenda est, siue appellatione, aut inhi-
bitione, etiam in Romana Curia; vel vi-
gore Eugenianæ constitionis suspendi
posse. Postremò tàm decretum illud sub
Paulo Tertio quàm hoc ipsum in Con-
cilijs Prouincialibus, & Episcopalibus pu-
blicari, sancta synodus præcipit: cupit
enim, quæ adeò ex Pastorum munere, ani
marumque salute sunt, frequenter om-
nium auribus, mentibusque infigi; vt in
posterum Deo, iuuante, nulla temporum
iniuria, aut hominum obliuione, aut de-
suetudine aboleantur. Hucusque Triden-
tini Concilij decreta.

DE DIGNITATE & munere Episcopali. Cap. I.

AGnoscant Episcopi eorum ma-
ximam dignitatem; cùm san-
ctam Dei Ecclesiam à Spiritu
sancto regere positi sint, & su-
pra omnes gradus constituti: sui igitur
status non obliuiscantur; Pontificiam di-
gnitatem non de honestent; sæcularium
principium mensis non inseruiant, & me-
moriæ

moriæ commendent, eorum se esse duces, patres, & pastores, & quòd eorum cura, & vigilantia fideles ipsi ad cœlorum regnũ diriguntur; quódque mediatores sunt pro hominibus apud Deum. Qua de re meminerint frequenter offerre sacrificia pro peccatis eorum. Dominicis ergò diebus, & reliquis festiuis, nisi legitimè impediantur, Missæ sacrificium celebrare non dimittant, vt qui pro hominibus assumpti sunt, pro hominibus orare non cessent.

CAP. II.

EPiscopi singulis annis, ac semper sex mensibus post Prouinciale Conciliũ, diœcesanam synodum habeant, in qua decreta in Prouinciali Concilio edita promulgentur: & annus vllus ne prætereat, quo synodum non habeant, si pœnas in sacris Canonibus contẽta effugere velint.

TRACTATVS DE CONCIONATORIBVS.

Eaq; quæ Patres Prædicatores, Curatiue docere omninò, & nullo modo silentio præterire debent, sunt ferè infrascripta.

QVOMODO PRÆDICATORES fidei fundamentum illæsum seruare debent. Cap. I.

PRincipio cùm Ecclesiastici Prædicatores, iuxta Apostolicam doctrinam, illęsum seruare debeant fidei fundamentum, quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS 1. Corin. 3. intelligant hoc nomine tũc seruari, cùm aduersùs ea, quæ in sacra Scriptura habentur, aut aduersùs ea, quæ ab Ecclesia sancta per traditionem à sanctis Apostolis ipsis accepta, aut vniuersalibus legitimis, receptisq; Cõcilijs definita, aut perpetuo Catholicæ Ecclesiæ cõsensu, & concordibus sacrũ Docto-

ctorũ ſentẽtijs roborata sũt, nihil protu lerint, aut aſſeruerint. Caueant igitur ſũmopere primùm, ne in vllam damnatam hæreſim incidant, aut varias, & peregrinas doctrinas inuehant in Eccleſiam Chriſti: caueant deinde, ne ſuam volentes oſtendere doctrinam, ſe ipſos potiùs, quàm Chriſtum Ieſum, prædicare videantur. Quamobrem ab inanibus quæſtionibus, & ventoſis diſputationibus abſtineant, & ſalutem dumtaxat animarũ ſibi proponentes, quæ ſunt populo Chriſtiano credenda, quęque facienda, quæ ve oranda, prędicent, & explanent.

QVOD EXPRESSO SERMONE, ſine vlla amphibologia, omiſſiſque hæreticorum argumentis, veritatem Catholicam ſimplici populo proponere debeant. Cap. II.

CAueant quoq, Prædicatores verbi Dei, quantum poſsunt, ne opiniones hæreticorum recitent Populo, qui eas neſciat, ne Diabolus inde ſumat occaſionẽ eos tẽtandi; ſed Catholicã veritatẽ aſſerant, illã Eccleſię

sanctæ, Conciliorum, & consuetudinis vetustate approbatæ, nec non sanctorum doctorum ab Ecclesia probatorum auctoritate confirmando: testimonia tamen scripturæ sacræ, ab hæreticis adduci solita, fideliter, & conformiter alijs locis eiusdẽ scripturæ, & doctoribus sacris; interpretentur. Neque verò ambiguo, & versuto sermone loquantur, vt ex auditoribus aliud vnus, aliud alter intelligat, sed ita clarè, dilucidè, & sine vlla æquiuocatione, aut amphibologia eorum sentẽtias explicent, vt omnes omninò auditores, vnum & eundem sensum iure possint accipere; neque rem tractent adeò concisè, & obscurè, vt eius rei in priuato colloquio, & in cubiculo non somniculoso auditori tacitè interpretationem promittant; nec tandem ita subdolè, ac frigidè rem ipsam tractent, vt facilè se præuaricatores, & causæ veritatis fidei proditores ostendant.

PRÆ-

PRÆDICATORES CONSTANTER tùm articulos fidei, tùm Ecclesiæ Catholicæ Romanæ vnitatem, eiusque caput in terris Papam esse profiteri debere.

Cap. III.

VErùm, vt ad particularia descendamus, in primis aduersùs omnes hæreticos docendæ sunt plebes articulos fidei, in quibus illud prę cipuè insinuetur, quòd voluerit Deus in Christo omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, vt habetur ad Coloss. 1. & 2. Præterea doceant, vnam esse Catholicam Ecclesiā, columnam & fundamentum veritatis, & vnum eiusdem Ecclesiæ sub summo capite Christo supremum caput ipsius Domini nostri Iesu Christi verbo constitutum in terris, cùm dixit beato Petro, & in eius persona omnibus successoribus eius: Pasce oues meas, Pasce agnos meos Ioan. 21. & idcirco sanctam Romanam Ecclesiam, quam beatus ille Apostolus, cum

beato Apostolo Paulo, suo sanguine consecrauit, ac cui deinceps eiusdem Petri successor, ac Christi Vicarius, peculiariter præsidet, esse Ecclesiarum omnium reliquarum matrem & magistram, & ab illa fidei confessionem omnes accipere, ac tenere, eiusque mandata reuerenter suscipere, ac seruare debere.

ITA DE LIBERO ARBITRIO, deque peccato originali, ac iustificatione prędicandum esse, vt à doctrina Catholica in Tridentino Concilio declarata non discedant.

Cap. IV.

ET quoniam de peccato originali, & libero arbitrio, ac de iustificatione contingit habere sermonem; sic eius peccati malignitas prædicanda est, vt non solum Manichæorum, ac Lutheranorum, sed etiam Pelagianorum vitentur errores: quod certè fiet, si nec liberum hominis negetur arbitrium: nec tantùm eius viribus arrogetur, vt absque fide, & diuino auxilio, & gratia quicquam

quam valere ad æternam salutem dicatur; nec è conuerso sic deprimatur, vt negetur diuino assistente auxilio, & gratia, non cooperari ad recuperandam Dei dilectionem, & ad meritum æternæ vitæ, & in summa de peccato ipso originali, & de iustificatione eam prædicent, & sequantur doctrinam, quæ in Trid. Conc. declarata fuit. Et in popularibus Concionibus de conceptione gloriosæ Dei Genitricis disputare non audeant, sub pœnis in Bulla fel. rec. Pij V. contentis, quæ incipit: Super speculum.

SOBRIE PROPTER INCAPACES, de prædestinatione prædicandum esse. Cap. V.

De prædestinatione, de qua beatus Augustinus ait, facile, immò vtile esse, vt taceatur aliquando verum propter incapaces, iuxta illud Domini: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; sic prædicent, vt nemini suo sermone spem auferant salutis; sed iuxta scripturarum testimonia manifestè, clarè, ac disertè pronuncient, omnibus gratiam Dei conferri,

ri, quæ sit sufficiens ad salutem, si ei non restiterint; quia sanguis Christi (quod attinet ad diuinam largitatem) pro omnibus prorsus effusus est. Vsurpent ergo sibi simpliciter, ac sincerè Apostolicam illam beati Pauli, ac dignam omni acceptatione, sententiam dicentis 1. ad Tim. 2. primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agant cum omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore Christo Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus.

NON INVOLVCRIS, AVT ambiguis sermonibus, sed luculenter post hanc vitam Purgatorium asserendum esse. Cap. VI.

CLarè item, ac disertè declarent esse Purgatorium post hanc vitam, quod & de scripturis sanctis elicitur, & Patrum traditione, Conciliorumque diffinitionibus comprobatur; vbi animæ defunctorum, quæ cum Dei gratia ex hoc mundo migrarunt, nec in vita pro admissis satisfecerunt, pro modo delictorum torquentur, segregatæ interim à gloria Dei, donec, vel omnino purgentur suppliciis, vel per suffragia viuentium adiutæ in misericordia Dei releuentur, vel euadant.

INDVLGENTIARVM THESAVRVM eiusque dispensatorem sanctissimum Papam Pontificem maximum, esse manifeste doceant. Cap. VII.

DE Indulgentijs quoque tractantes, doceant esse verè inexhaustũ thesaurũ

meritorum Christi, & sanctiss. eius matris ac ceterorum sanctorum, & huius dispensandi thesauri, per Indulgentias summum Pontificem, tamquam Christi Vicarium in terris plenariam habere potestatem; reliquos Pontifices iuxta sibi ab eo taxatum munus: per illas verò indulgentias vicem satisfactionum debitarum impleri, vt pœna debita minuatur, vel extinguatur, iuxta modum in ipsis earum legitimis concessionibus præscriptum.

INVOATIONEM DENIQVE Sanctorum, cultumque imaginum constantissime confirment. Cap. VIII.

DEnique de gloria Sanctorum, & eorum inuocatione, ac veneratione, & cultu, ac similiter de adoratione, & cultu imaginum, & reliquiarum Sanctorum corporum, ea prædicent, & annunciando confirment, quæ ab ipsa antiqua, ac diuturna in cunctis Ecclesijs consuetudine, & à sacris Concilijs comprobata sunt, & confirmata. Hæc sunt prædicanda populo ad gloriam Dei, & ad vtilitatem animarum nostrarum.

DE

DE PRÆBENDA THEOLOGALI. Cap. IX.

MEminerint Episcopi (vt prædicationis munus commodius adimpleri possit) Ecclesię Cathedrales aut collegiatæ in oppidis insignibus, in quibus præbendam, aut stipẽdium quouis nomine Theologiæ interpreti assignatum nõ habent, curent quam primùm decretum Concilij Tridentini vt adimpleant; cùm illis præbendam primò vocaturam ad hunc vsum Concilium constituerit, quam ei solummodo, qui ad hoc munus per se præstandum idoneus fuerit, deferri voluit.

DE SENTENTIA excommunicationis. Cap. I.

EXcommunicationis gladiũ neruum esse Ecclesiasticæ disciplinæ, sacrum Concilium Tridentinũ declarauit, medicinam non eradicantem, sed disciplinantem, sobriè, & magna circunspectione esse exercendum, & non in leuibus causis, sed grauissimis vtendũ cũ magna maturitate, causaque

que cognita, pro rei, loci, & personæ, qualitate; ne si ex leuibus causis, aut temerè incutiatur, magis contemnatur, quàm formidetur. Quapropter mandat sacra Synodus, vt monitoriæ litteræ pro deperditis, aut subtractis rebus concedi solitæ, à nemine concedantur, nisi à Reuerẽdissimis Episcopis, eorumque generalibus Vicarijs, tributa eis specialiter hac facultate, conditionibus adhibitis à sacro Concilio Tridentino, & fel. recor. Pio V. præscriptis. Et in infrascriptis casibus nemini concedantur.

Pro re criminosa, quæ infamiæ notam inducat, non concedantur, nisi pro ciuili tantum interesse, & earum rerum, quæ summam ducatorũ duodecim excedant.

Pro re non omnino occulta.

Pro re, quæ diu amissa, aut subtracta est, ita vt illius memoriam amplius non haberi, verisimile sit.

C A P. I I.

NON concedatur excommunicato, ac manifestè notorio criminoso, neque contra aliquem, qui ob eius paupertatem satisfacere non posset, neque in loco, vbi eas verisimile sit negligi, vel cõtemni. Diebus etiam Natiuitatis Dñi,

Paſchæ Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, in ſolemnitate ſacri Corporis Domini, alijſque ſolemnioribus feſtiuis diebus loci Patronorum noſtræ Prouinciæ nę promulgentur Et abuſus promulgandi ſententiam excommunicationis per publica loca ciuitatis extirpetur, niſi ex grauiſſimis cauſſis aliter loci Ordinario videatur.

CAP. III.

CVrati moneant populum, vt timeat ſententiam excommunicationis, & quod non eſt homo, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit hominibus, & dominos fecit tanti honoris; & quod excommunicati, etſi publicè denunciati non ſint, ſi in eis actibus ſe ingerant, qui per excommunicatos explicari non poſſunt, mortaliter peccant. Et ne alij eorum commercio inficiantur, bis in menſe in Miſsarum ſolemnijs denuncientur: quod ſi per annum in illis inſorduerint, procedatur contra eos, vti de hæreſi ſuſpectos.

DE CONCVBINARIIS Cap. I.

GRaue scelus est, homines solutos concubinas habere; grauissimũ verò vxoratos. Nam præter scandala, animæque periculum, vnum inter cetera id satis est, quod maximè castissimas mulieres exasperare solet, dum eorum thorum, & fidem datam violari vident ab eorum maritis. Idcirco, vt ad eam, qua decet, continentiam, vitæque integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur, & laici in damnationis statu viuere non audeant; præcipit sacra synodus, vt decreta sacri Concilij Tridentini de concubinarijs, & prouisiones nuper locorum ordinarijs directæ à sanctissimo Domino N.D. Sixto PapaQuinto per priuatas litteras, omnino obseruentur. Quibus omnibus mandat sacra Synodus, vt sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis à iure statutis, infra duodecim dierum spatium concubinas eijciunt.

DE ZINGARIS.

Cap. I.

CVm apud Deum non detur exceptio personarum, & vt eà, quæ decet, cura omnium habeatur, cùm sacerdotalis officij sit erga omnes Ecclesiæ filios curam habere cōmunē; volens sacra Synodus vago & fallaci Zingarorum generi prouidere, mandat, vt locorum Ordinarij, quando eos in eorū partibus morari cōtigerit, de infra scriptis diligenter inquirant.

An ipsos, vt bonos christianos decet, in omnibus eorum actionibus se gerant.

An singulis annis sua peccata cōfiteantur, & si dixerint illo anno confessos fuisse, exhibeant legitima documenta.

An sanctæ Ecclesię institutis, & præceptis pareant.

An in contrahendis matrimonijs abstineant à gradibus prohibitis.

An quicquam agant, quod Schismaticorum more; vsumque præseferat.

An Quadragesimæ tempore, vigiliarumque diebus à carnibus, & cibis à sancta Rom. Ecclesia prohibitis abstineant.

An nouis ritibus vtantur. Quòd si con era Ecclesiæ præcepta,ritusque ab illis aliquid fieri compererint, diligenter se informent,& interim ab Ecclesia diuinorũ officiorum tempore abijciantur. Quadragesimali verò tempore eis iniungatur,vt non discedant, nisi prius sua peccata confessi fuerint, & Eucharistię sacramentum sumpserint.

*

DE FESTO FATVORVM, & de tollendis repræsentationibus. Cap. I.

TVrpem abusum in quibusdam Ecclesijs frequentatum, quòd certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra,baculo, ac vestibus Pontificalibus, more Episcoporum benedicunt; alij,vt Reges,& Duces induuntur, quod festum fatuorum, vel innocentium, seu puerorum nuncupatur, quibus homines ad cachinnationem mouentur, penitus sacra Synodus prohibet,& detestatur. Qui verò cõtraire ausus fuerit,graui pœna ordinarij arbitrio puniatur.

* vide Pagi an. 1167 ...

CAP.

XVII ... XVIII

CAP. II.

VEneranda Christi Domini Passio, & gloriosa Martyrum certamina, aliorumque Sanctorum gesta, quæ repræsentandi populo pro ipsius ædificatione pia introduxit consuetudo, modò hominum peruersitate eò deducta est, vt offensioni, risui, & despectui sit. Episcopi modis omnibus curent, vt à Concionatoribus grauiter exponantur, ita vt pietatem, & lachrymas commoueant auditoribus. Cæterum Sanctorum martyria, & actiones, ne agantur, sed ita piè narrentur, vt auditores ad earum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

DE AGITATIONIBVS Taurorum aliarumue ferarum bestiarum Cap. 1.

LIcet detestabilis duellorum vsus à Diabolo introductus, in quo cruenta corporum morte animarum perniciem lucratur, sit à sacro Concilio Tridentino prohibitus; nihilominus in plerisque huius Prouinciæ partibus & locis, quamplurimi ad virium suarum ostentationem, & audaciæ, in publicis spe-

ctaculis cum tauris, & alijs feris beſtijs cō grediuntur. Sacra synodus animarum ſaluti proſpiciens, talia hominum, immò dæmonũ ſpectacula prohibet ac deteſtatur, ſub anathematis pœna, & alijs in Bulla fel. rec. Pij V. contentis, & decernit, vt qui in illis mortuus fuerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.

DE BLASPHEMIA. Cap. I.

POſt deteſtabilem hæreticorum incredulitatem, & impietatẽ, quam deteſtabile, pernicioſum, impiũ ac punibile blaſphemię ſcelus ſit, omnibus ſceleribus, etiam grauiſſimis, præferendum, propter quod fames, peſtes, & terremotus, aliaque iuſta Dei flagella hominibus cœlo eueniunt, nemo eſt, qui neſciat; Ideo namque humanæ leges gladio vltore armantur, licet ex vſu, & temporum calamitate ab aula receſſerunt, & Dei, ſanctorumque eiuſdem nomen eò magis blaſphematur: cordi ſit omniũ Epiſcoporum tantum, ac tale nefarium crimen ab eorum ſubditis Eccleſiaſticis (quod valde dolendum eſt) & laicis, penitus euellere, & eradicare, ipſumque omni condigna

ſeue-

feueritate punire, & castigare, iuxta sanctorum Patrum decreta, non dimittant: ex quo inuigilent, & omnino sint memores (vt Dei vltio euitetur) decretorum Pontificum, maximè verò eorum, quæ Leo X. in Lateranensi Concilio decreuit, de aliquo modo nó blasphemando Dei, eiusdemque Domini nostri Iesu Christi, eiusque sanctissimæ Matris Virginis Mariæ, & sanctorū omniū nomen, cauti sint, & prouideant, ne tantū facinus impunitū crescat.

DE IVDICIALI EPICOPI foro. Cap. I.

EPiscopi decretum sacri Concilij Trid. Sess. 22. c. 9. de Notariorum examinatione, & approbatione diligenter obseruent, ne eorum imperitia contrahentibus præiudicium afferatur. In eius foro ministri sint idonei, artis periti, infamia non notati, probatæ vitæ, & ab auaritię labe prorsus alieni. Carceres, quia non ad pœnam, sed ad custodiam dantur, non sint tetri, aut subterterranei, ita vt incommodi, vt in eis mancipata vitæ periculum, discrimenque incurrāt, & qui ita sūt, penitus amoueantur.

CAP. II.

VT fori ratio, & iurisdictionis exercendæ certa aliqua, & vniformis forma in tota Prouincia constituatur, sacra Sydonus mandat, vt pauperum vtilitati consulatur, id quod officialibus curiæ Episcopalis soluendum erit ad taxam & pandectæ rationem nuper editæ in Archiepiscopali curia, redigatur, & ab omnibus inuiolabiliter obseruetur.

Cap. III.

SIt in vnoquoque foro, qui pauperum, & miserabilium personarum causas agat & defendat, idque gratis, ne indefensi pereant. Episcopi famulos suos in episcopali foro causas nec agere, nec commendare permittant.

DE PROCESSIONIBVS.

Cap. I.

EPiscopi in controuersijs præcedentiarum componendis studeant, vt absque populi scandalo, & figura iudicij componantur, auctoritate eis à Concilio Tridentino attributa tum in publicis processionibus, tùm in tumulandis defunctorum corporibus, & deferenda

da vmbella:& quod ab ei compositum fuerit,obseruari faciant. Ad processiones generales exempti omnes venire cogantur. In Cathedralibus, & maioribus Ecclesijs semper conueniant, à quibus proficiscantur,& eodem modo reuertantur ab eisque non discendant, nisi omnibus orationibus completis,idque obseruetur in funeralibus processionibus:& qui peccauerit, Ordinarij arbitrio puniatur.

CAP. I.

HAbeat vnusquisque vestes suo Ordini,& dignitati congruentes, & bini secundum gradus,& ordinis conditionem, Crucem præcedentem sequantur debito interuallo inter eos,grauiter, & demissis oculis,deuotèque gradiantur absque confabulationibus,huc atque illuc oculos nõ conijcientes,vel ad fenestras extollentes, & omissis curiositatibus,psalmis, & hymnis,& reliquis sacris precibus sedulo dent operam, memores se coram oculis cuncta cernentis maiestatis, iunctosque Angelicis agminibus ità procedere. Nemo etiã in via inaniter,curioseque spectandi causa subsistat,ne in tentationem zizaniæ seminatoris incidat.

C A P. I I I.

ORnate cruces dum deferuntur, ignem cum artificio sulphuris, aut pulueris non adhibeant sũt enim thura dæmonis, & sãtissimæ cruci magnũ dedecus, populoque scandalum, & periculum afferunt.

C A P. I V.

IN locis, per quæ supplicationes fieri debent, picturæ rerum profanarum indecoræ, repræsentationes, carminum recitationes, quæ processionibus impedimento esse possunt, omninò amoueantur.

DE FVNERIBVS, EXEQVIIS, & sepulturis. Cap. I.

MAndat sacra Synodus, vt pauperes, & miserabiles personæ, quæ nihil, aut parum in bonis habet, à Capitulis gratis, & proprijs impensis humentur. Defunctorum corpora ante ortum, vel post occasum solis, absque Ordinarij licentia, ex graui causa concedenda, ne efferantur.

C A P. I I.

TOllatur abusus canendi, & recitandi in defunctorum domibus nocturna, alias ve orationes, etiam si clericus fuerit, qui vita functus est. Clamores, ciulatus

in Ecclesijs, funebre carmen, quod vulgò defunctis cantari solet, omninò prohibeatur: vel quenquam in pectoribus sè, aut proximos, aut familias cędere, capillos ex mulierum capitibus euellere, & super defunctorum pectoribus eiicere: cum memores esse debeamus, quòd Dominus non fleuit Lazarum mortuum, sed ad huius vitæ ærumnas plorauit suscitandum.

CAP. III.

IN Cadaueribus efferendis euitentur lōgi viarum circuitus, cadauerum ve circunductiones; sed ea via procedatur, quæ à domo ad Ecclesiam recta ac breuis sit, nisi intra illius fines ordines eorum, qui funus comitantur, contineri non possit. Sepulchra non alio modo habere liceat, quàm vti permissa sunt à constitutione Pij V. illique, quibus cura animarum imminet, moneant Defunctorum consanguineos, affines ve, ne superstitionis causa aliquid apud mortuum in feretro, eius, ve manibus ponant, quod superstitionis speciem præseferat, aut superstitionē habeat.

CAP. IV.

PAtres veteris, & noui testamenti mortes sanctorum virorum cum fletu deplorasse humanitatis affectu, in nullo ta-

men legitur vestes mutasse. Propterea, mandat sacra Synodus omnibus Clericis, sub pœna Episcopi arbitrio imponenda, ne in obitu, etiam parentum, vestes lugubres, vel more laicorum induant, gestent ve vestis formam, aliud ve vestimenti genus, quam quo clerum vniuersum vti, moris est, ne mutent; sed pium charitatis officium erga mortuos præseferant, & saltē post trium dierum spacium superpelliceo induti, Choro, & diuinis intersint.

DE ECCLESIA CATHEDRALI vacante, funeribus, & exequijs Episcoporum. Cap. I.

Canonici, sacerdotes omnes de Vrbe, atque diœcesani, cum cathedralem Ecclesiam vacare contigerit, Missas de mortuis pro Pastoris defuncti anima celebrare non omittant; & exequiæ ea, qua decet, pietate per totam diœcesim celebrentur. Diœcesanos de Episcopi obitu certiores quamprimum faciant, eosdemque huius officij moneant. Priuatæ, & publicæ supplicationes fiant, in quibus vniuersus Clerus humiliter, ac religiosè à Deo Opt. Max petat or-

bato

bato gregi Pastorem, qui ad tale onus, & ministerij munus idoneus, & aptus esse possit.

CAP. II.

PAstore defuncto, intra octo dies Capitulum Vicarium constituat idoneum, seruata forma Concil. Trid. œconomum vnum, vel plures decernat. Quòd si in præmissis negligens fuerit ad Metropolitanum deferatur; quòd si Metropolitana Ecclesia fuerit, ad antiquiorem, & propinquiorem Episcopum huiusmodi deputatio deuoluatur.

DE IMMVNITATE Ecclesiarum. Cap. I.

SAcra Synodus monet omnes magistratus, & officiales temporales, eosque obsecrat, vt Ecclesiarum priuilegia, & immunitates illæsa conseruent, & illa violare non præsumant; vigore facultatis eisdem concessæ à Domino nostro Sixto Papa V. ingredien di Ecclesias, & loca religiosarum personarum, nisi in illis tantum casibus in dicta Constitutione expressis, iuxta sacram mentem præfati sanctissimi Domini nostri, &

dum

dum proceditur contra improbos, facinorosoſque homines, & graſsatores viarum conditionibus in dicta Conſtitutione contentis adhibitis. In reliquis Epiſcopi curent, vt ſeruentur iura de immunitate Eccleſiarum loquentia, ſub cenſuris Eccleſiaſticis.

DE REDVCTIONE MISSARVM, ET Anniuerſariorum. Cap. I.

SAcra Synodus agnoſcens numerum Miſsarum in tota Prouincia adeò excreuiſse, vt etiam ſi numerus Sacerdotum duplicaretur, ſatisfieri numquàm poſset; ex Concilij Trid. decreto huic incommodo prouidendum neceſsariò duxit, præuia prius accedente informatione, vt quoad fieri poteſt, defuncti debitis ſuffragijs non fraudētur, & ſacerdotū toti' Prouinciæ inopia quæ maxima eſt, ſubleuetur: decernit itaque, vt pro Legatorum modo, & quantitate talis ineatur ratio, vt pro ſingulis Miſsis celebrandis in Sacerdotum eleemoſynam grana quindecim imputentur; etſi legatū ſit carlenorū quindecim, nō plures, quàm decem Miſsas, Beneficiatus dicere teneatur.

tur. Pro Missa verò celebranda eleemosynæ nomine dentur grana septem cum dimidio.

CAP. II.

SAcra Synodus agnoscēs multitudinem Anniuersariorū, quæ pro defūctis celebrantur, & presbyterorum paucitatem, mandat, & præcipit, vt in vnaquaque Ecclesia Cathedrali, Collegiata, aut Parochiali totius Prouinciæ, singulis diebus (Dominicis, & festiuis exceptis) cantetur Missa pro Defunctis, & cæterorū Defunctorum, seu Anniuersariorum, quæ supersunt; celebretur Missa priuata pro omnibus defunctis secunda feria tantum, ita vt sacerdotum paupertati subueniatur, & defunctis debitis suffragijs non priuentur.

DE VSVRIS Cap. I.

AD reprimendam vsurarum, & falsorum testium huius Prouinciæ multitudinem, præter casus Episcopis reseruatos, vsurarum, & falsi testimonij in iudicio ducti casum, sacra synodus eis reseruat; ita vt quibusuis Religiosis concessa facultas absoluendi à casibus reseruatis, hujusmodi peccata cō

prehen-

prehendere non censeatur, sed per ipsos Episcopos dumtaxat absolui voluit; ipsisque mandat, vt singulis annis in die cœnę Domini hos falsarios, & vsurarios solẽni anathemate feriant; Parochis omnibus, vt singulis mensibus canonem hunc in die festo inter Missarum solemnia populo denuncient, ac declarent.

DE COLLATIONE BENEFICIORVM, & distributionibus quotidianis. Cap. I.

CVm dignitates in Ecclesijs, & pręsertim Cathedralibus, ad conseruandam & augendam Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ac eas obtinentes opera & officio Episcopos iuuent; sacra Synodus vestigijs sacri Tridentini Concilij inherendo, pręcipit, & mandat, vt ad dignitates, quibus animarum cura subest, nullus promoueatur, nisi qui vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit: ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest promouendus, ætatem legitimam & ordinem, ac cæteras habilitates integræ habere dignoscatur: aliàs prouisio facta nulla, irrita, & innanis sit,

iuxta

iuxta decretum sacri Concilij Tridentini.

CAP. II.

FEl. recordationis Bonifacius Octauus volens consuetudinem abrogare, quæ in quibusdam partibus inoleuerat, qua Canonici, & Beneficiati quotidianas distributiones, quę tantùm residentibus tribuuntur, etsi præsentes non erant, & percipiebant, mandauit, illam abrogando, vt diuinis tantùm interessentibus darentur, his exceptis, qui verè infirmi sunt. Et Honorius Tertius in quadam alia sua constitutione præcepit, vt Canonici absentes, & qui Episcopis inseruiunt, suarũ præbendarum fructus perciperent, dummodò numerum duorum non excederent. sacra Synodus supradictis decretis adhærẽdo mandat, & præcipit, vt duo tantum, & non plures, qui ordinarijs locorum deseruiunt, dictas distributiones, & suorum beneficiorum portiones percipere valeant: Cæteris, qui diuinis non intersunt, etiam si Episcopis inseruiunt, non concedantur, sed vt alij absentes reputentur, distributionibus, portionibusque careant.

DE

DE CONSTITVTIONIBVS, & earum interpretationibus.

Cap. I.

SAcra synodus præcipit, & mãdat, vt supradictæ Constitutiones omnes ad litteram intelligantur, & ad verborum proprietatem, vt iacent, remotis quibuscumque interpretationibus intensiuis & extensiuis, vltra quàm verba ipsa significant. Si quæ autem dubitationes, aut ambiguitates exortæ fuerint Illustrissimus Metropolitanus, & synodi præsidens interpretabitur, & eius sententiam omnes sequi teneãtur, donec alia synodus Prouincialis habeatur: salua tamen sanctissimi Domini nostri, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ suprema auctoritate, cui omnia in hac synodo decreta, & acta interpretanda, mutanda, & emendanda, qua debent, obedientiæ propensione, & reuerentiæ humilitate subijciuntur. Cæterę verò Constitutiones, quas quisque comprouincialis Episcopus pro suo clero ediderit, impræteritum in suo robore permaneant, dummodo nõ aduersentur decretis acri Cõc. Trid. aut in hac synodo iditis.

DE

DE POENIS. Cap. I.

STatuit sacra synodus, ac decernit, vt per poenas in supradictis Constitutionibus contentas, non intelligantur sublatæ aliæ poenæ, à sacris Canonibus, & Concilio Tridentino impositæ; immò mandat, vt transgressores vtraque poena puniantur, & vbi imposita non reperitur, Episcoporum arbitrio plectantur: quod si pecuniariæ fuerint, vt omnis auaritiæ labes tollatur, Episcopi nullo modo ex quauis causa, etiam legitima, in proprium vsum conuertere possint, sed illas pio loco applicent, pauperumque necessitatibus. Et ne omnium supradictarum Constitutionum quispiam ignorantiæ causam allegare valeat; statuit post duorum mensium spatiū omnes teneri ad illas seruandum, postquam editæ, & in valuis Metropolitanæ Ecclesiæ publicè propositæ fuerint.

Curent Episcopi, vt summorum Pontificum bullæ, non solùm in his decretis memoratæ, & hactenus emanatæ; sed quæcumque aliæ pro tempore emanabunt, frequentibus populis, vt moris est, materna lingua exponantur, ac sæpius in memo-

memoriam reuocentur, ne ignoratione, aut negligentius obseruent, aut si omiserint, vel contrauenerint, in censuras in eis contentas incidant.

DE FINE SYNODO imponenda.

Confectis iam, Deo fauente, absolutisque ijs, quæ hoc potissimum tempore, pro restitutione & conseruatione Ecclesiasticæ disciplinæ in Prouicia Tranensi statuenda; & decernenda fore videbantur; ipsam Synodum meritò dimittendam esse existimamus. Quare Reuerendissimi Patres, Placetne vobis, vt ad laudem omnipotentis Dei huic Synodo finis imponatur, & confirmatio omnium decretorum nomine huius sacræ Synodi per Illustrissimum dominum Archiepiscopum à sanctissimo Domino nostro petatur.

Responderunt. Placet.

Reuerédiss. Patres, Post grãs Deo peractas Ite in pace. Responderunt. Amen.

CONVENTVALES.

Magiſter Nicolaus Vincentius Bonauentura.

Magiſter Bartholomæus Montagnanus.

Magiſter Ioſeph de Melfio.

AVGVSTINIANI.

Magiſter Gabriel de Monte Alcino.

Magiſter Gabriel Venetus.

CARMELITÆ.

Magiſter Robertus Bitontinus.

V. I. D.

Martius Fortunatus Archidiaconus Vigilienſis Vicarius generalis Tranen.

Abbas Tarquinus Brunus. V.I.D.

Archipresbyter Barolitanus ſynodi Prouincialis promotor.

D. Ioannes Baptiſta Petruccius Canonicus Tranenſis ſecretarius Concilij.

Abbas Pompeius Bonismiro Archipresbyter Tranenſis, V.I.D.

Abbas Ioannes Thomas de Baſtardis, V.I.D.

D. Maurus Antonius de Berarducio Vigilienſis S. Theologiæ Doctor.

Et ego Ioannes Baptiſta Brunus pu-

blicus Apostolica, & Regia auctoritate Notarius, & ciuis Traneñ. atque Archiepiscopalis Curiæ Traneñ. & huius Prouincialis synodi Traneñ. vna cũ reuerendo Donno Io.Baptista Petrucio clerico, & Canonico Traneñ. & dictæ Prouincialis synodi Cancellario, coram prælibatis Reuerendissimis Metropolitano, & Episcopis, atque alijs reuerendis presbyteris scriba: quia premissis, dum sic decernerentur & sancirentur interfui, & ea sic fieri, decerni, & sanciri vidi, & audiui, & sanctiones, & decreta, & alia facta: Ideo in fidem omnium, & singulorum præmissorum mea propria manu scripsi, & signum meum apposui consuetum rogatus & requisitus.

Et ego Donnus Io.Baptista Petrucius clericus & Canonicus Traneñ. Apostolica auctoritate notarius, nec nõ Archiepiscopalis Curiæ Traneñ. huius Prouincialis synodi seu Concilij Traneñ, vna cum suprascripto Donno Io: Baptista Bruno coram prælibatis reuerendissimis Metropolitano & Episcopis, atque alijs reuerendis patribus Cancellarius: quia præmissis dum sic fierent, & decernerentur interfui, & sic fieri vidi & audi

ACCLAMATIONES.

BEatiſſimo Sixto V. Domino noſtro, ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, cuius auctoritate hoc ſacrum prouinciale Concilium inchoatum, & perfectum eſt, multi anni, & æterna memoria.

Reſponderunt. Domine Deus ſanctiſſimum Patrem diutiſſime Eccleſiæ tuæ cõſerua multos annos.

Oremus.

DEus omnium fidelium Paſtor, & rector, famulum tuum Sixtum, quem paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice; da ei, quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt, proficere, vt ad vitam vna cum grege ſibi credito perueniat ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

INuictiſſimo Philippo Regi orthodoxo & Chriſtianæ Religionis defenſori bona valetudo, & multi anni.

Reſpond. Catholicum, & Chriſtianæ Religionis defenſorem, Rex coeleſtis, conſerua multos annos.

Oremus.

DEus, qui in tua poteſtate de nihilo cuncta creaſti,& diſpoſitis vniuerſitatis elementis, hominem ad imaginem tuam feciſti;reſpice propitius ſuper Philippum Regem noſtrũ, prolem Regiam, exercitum, populumque ſibi commiſsũ, vt ne illum furor exterarum gentium aggrediatur, dextera tuæ potentiæ cuſtodiat,& de auxilijs, quæ nobis largitus eſt in terris, præmia æterna conſequatur in cęlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

REuerendiſſimo dño Archiepiſcopo huius ſacrę ſynodi Præſuli,& Reuerendiſſimis Epiſcopis, vita & fœlix ad Eccleſias reditus.

℟. Præconibus veritatis perpetua memoria. Orthodoxo ſenatui multas annos Oremus. Pro cunctis huius ciuitatis Chriſti fidelibus,& pro omnibus alijs nobis commiſſis.

℟. Chorus.

Saluos fac ſeruos tuos Domine Deus omnipotens, ſpes omnium finium terræ in mari longe.

Ore-

Oremus.

PLebem tuam Domine continua protectione custodi: & quia sine te non potest salua consistere, auxilijs gratiæ tuæ secura permaneat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

SAcræ Prouincialis synodi decreta. ℟. Semper confiteamur, semper seruemus.

Omnes ita credimus, omnes id ipsum confitemur, omnes idem sentimus.

℟. Ita credimus, ita confitemur, ita sentimus.

His Decretis inhærentes, digni reddamur misericordia, & gratia præfati magni & supremi sacerdotis Iesu Christi Dei, intercedente simul inuiolata domina nostra Deipara, & omnibus sanctis. ℟. Amen.

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias, semper dicamus Deo gratias.

Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus. Respon. Chorus. Amen Amen.

NOs Scipio de Tolpha Ecclesiæ Metropolitanæ Tranensis Archiepiscopus, supradictis omnibus decretis cō sensum præstamus,& manu propria subscripsimus,&c.

*EGo Lucas Antonius Resta Episcopus Andrieñ.consentiens subscripsi.

EGo Alexander Cospius Episcopus Vigilieñ. supradictis omnibus decretis consentio, & me subscribo,&c.

SACRÆ THEOLGIÆ,ET IVRIS vtriusque doctores qui Concilio inter fuerunt

ORDINIS PRÆDICATORVM.
Magister Michael de Nico.
Magister Vincentius de Trano.

SANCTI FRANCISCI DE Obseruantia.
Frater Petrus de Barulo.
Frater Alexander de Potentia.
Frater Ioannes de Grauina.

* Author directorii visitatorum ac visitandorum: et syno-dum celebravit anno 1542.

ui,& ſanctiones, & decreta atque alia ſupraſcripta : Ideo in fidem omnium præmiſsorum propria manu ſubſcripſi ; ſignumque meum appoſui conſuetum, prout ambo rogati & requiſiti fuimus.

NOs Antonius tituli SS. Io. & Pauli S.R.E. presbiter Cardinalis Carafa fidem facimus, & atteſtamur, decreta facta in Prouinciali ſynodo Tranenſi anno Domini M D LXXXIX. à perilluſtri & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo Tranen. celebrata, eaque ad S.D.N. miſsa, à ſacra Congregatione Cardinalium Cõcilio Tridentino interpretando eius ſanctitatis auctoritate præpoſitorum, emẽdata atque aptata fuiſse, necnon eorum dem decretorum originale apud ipſam Congregationem remanſiſse, cum quo huiuſmodi decreta hoc libro chartarũ L X X I I. quarum prima incipit : Scipio de Tolpha : vltima vero : Tranenſis, & huius Prouincialis &c. & deſinit, & & requiſiti fuimus : deſcripta, & collata in omnibus, & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſub-

ſcripſimus, & ab infraſcripto ſecretario item ſubſcribi, ſigillique noſtri impreſſione communiri mandauimus. Romæ, die xv. Maij. M D XC.

Ant. Card. Carafa.

Brutus Guarinius Secret.

ELEN

ELENCHVS CAPITVM.

SESSIO PRIMA.

SESSIO SECVNDA.

De

dum proceditur contra improbos, facinorosos que homines, & graſsatores viarum conditionibus in dicta Conſtitutione contentis adhibitis. In reliquis Epiſcopi curent, vt ſeruentur iura de immunitate Eccleſiarum loquentia, ſub cenſuris Eccleſiaſticis.

DE REDVCTIONE MISSARVM, ET Anniuerſariorum. Cap. I.

SAcra Synodus agnoſcens numerum Miſsarum in tota Prouincia adeò excreuiſse, vt etiam ſi numerus Sacerdotum duplicaretur, ſatisfieri numquàm poſset; ex Concilij Trid. decreto huic incommodo prouidendum neceſsariò duxit, præuia prius accedente informatione, vt quoad fieri poteſt, defuncti debitis ſuffragijs non fraudētur, & ſacerdotū toti⁹ Prouinciæ inopia quæ maxima eſt, ſubleuetur: decernit itaque, vt pro Legatorum modo, & quantitate talis ineatur ratio, vt pro ſingulis Miſsis celebrandis in Sacerdotum eleemoſynam grana quindecim imputentur; etſi legatū ſit carlenorū quindecim, nō plures, quàm decem Miſsas, Beneficiatus dicere teneatur.

tur. Pro Missa verò celebranda eleemosynæ nomine dentur grana septem cum dimidio.

CAP. II.

SAcra Synodus agnoscẽs multitudinem Anniuersariorũ, quæ pro defũctis celebrantur, & presbyterorum paucitatem, mandat, & præcipit, vt in vnaquaque Ecclesia Cathedrali, Collegiata, aut Parochiali totius Prouinciæ, singulis diebus (Dominicis, & festiuis exceptis) cantetur Missa pro Defunctis, & cæterorũ Defunctorum, seu Anniuersariorum, quæ supersunt; celebretur Missa priuata pro omnibus defunctis secunda feria tantum, ita vt sacerdotum paupertati subueniatur, & defunctis debitis suffragijs non priuentur.

DE VSVRIS Cap. I.

AD reprimendam vsurarum, & falsorum testium huius Prouinciæ multitudinem, præter casus Episcopis reseruatos, vsurarum, & falsi testimonij in iudicio ducti casum, sacra synodus eis reseruat; ita vt quibusuis Religiosis concessa facultas absoluendi à casibus reseruatis, hujusmodi peccata cõ prehen-

prehendere non censeatur, sed per ipsos Episcopos dumtaxat absolui voluit; ipsisque mandat, vt singulis annis in die cœnę Domini hos falsarios, & vsurarios soleni anathemate feriant; Parochis omnibus, vt singulis mensibus canonem hunc in die festo inter Missarum solemnia populo denuncient, ac declarent.

DE COLLATIONE BENEFICIORVM, & distributionibus quotidianis. Cap. I.

CVm dignitates in Ecclesijs, & pręsertim Cathedralibus, ad conseruandam & augendam Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ac eas obtinentes opera & officio Episcopos iuuent; sacra Synodus vestigijs sacri Tridentini Concilij inherendo, pręcipit, & mandat, vt ad dignitates, quibus animarum cura subest, nullus promoueatur, nisi qui vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit: ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest promouendus, ætatem legitimam & ordinem, ac cæteras habilitates integræ habere dignoscatur: alias prouisio facta nulla, irrita, & innanis sit,

iuxta

iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini.

CAP. III.

FEl. recordationis Bonifacius Octauus volens conſuetudinem abrogare, quæ in quibuſdam partibus inoleuerat, qua Canonici, & Beneficiati quotidianas diſtributiones, quę tantùm reſidentibus tribuuntur, etſi præſentes non erant, & percipiebant; mandauit, illam abrogando, vt diuinis tantùm intereſſentibus darentur, his exceptis, qui verè infirmi ſunt. Et Honorius Tertius in quadam alia ſua conſtitutione præcepit, vt Canonici abſentes, & qui Epiſcopis inſeruiunt, ſuarũ præbendarum fructus perciperent, dummodò numerum duorum non excederent. ſacra Synodus ſupradictis decretis adhærẽdo mandat, & præcipit, vt duo tantum, & non plures, qui ordinarijs locorum deſeruiunt, dictas diſtributiones, & ſuorum beneficiorum portiones percipere valeant: Cæteris, qui diuinis non interſunt, etiam ſi Epiſcopis inſeruiunt, non concedantur, ſed vt alij abſentes reputentur, diſtributionibus, portionibuſque careant.

DE

DE CONSTITVTIONIBVS, & earum interpretationibus. Cap. I.

SAcra synodus præcipit, & mãdat, vt supradictæ Constitutiones omnes ad litteram intelligantur, & ad verborum proprietatem, vt iacent, remotis quibuscumque interpretationibus intensiuis & extensiuis, vltra quàm verba ipsa significant. Si quæ autem dubitationes, aut ambiguitates exortæ fuerint Illustrissimus Metropolitanus, & synodi præsidens interpretabitur, & eius sententiam omnes sequi teneãtur, donec alia synodus Prouincialis habeatur: salua tamen sanctissimi Domini nostri, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ suprema auctoritate, cui omnia in hac synodo decreta, & acta interpretanda, mutanda, & emendanda, qua debent, obedientiæ propensione, & reuerentiæ humilitate subijciuntur. Cæterę verò Constitutiones, quas quisque comprouincialis Episcopus pro suo clero ediderit, impræteritum in suo robore permaneant, dummodo nõ aduersentur decretis sacri Cõc. Trid. aut in hac synodo iditis.

DE POENIS. Cap. I.

STatuit sacra synodus, ac decernit, vt per poenas in supradictis Constitutionibus contentas, non intelligantur sublatæ aliæ poenæ, à sacris Canonibus, & Concilio Tridentino impositæ; immò mandat, vt transgressores vtraque poena puniantur, & vbi imposita non reperitur, Episcoporum arbitrio plectantur: quod si pecuniariæ fuerint, vt omnis auaritiæ labes tollatur, Episcopi nullo modo ex quauis causa, etiam legitima, in proprium vsum conuertere possint, sed illas pio loco applicent, pauperumque necessitatibus. Et ne omnium supradictarum Constitutionum quispiam ignorantiæ causam allegare valeat; statuit post duorum mensium spatiũ omnes teneri ad illas seruandum, postquàm editæ, & in valuis Metropolitanæ Ecclesiæ publicè propositæ fuerint.

Curent Episcopi, vt summorum Pontificum bullæ, non solùm in his decretis memoratæ, & hactenus emanatæ; sed quæcumque aliæ pro tempore emanabunt, frequentibus populis, vt moris est, materna lingua exponantur, ac sæpius in memo-

CONVENTVALES.

Magister Nicolaus Vincentius Bonauentura.
Magister Bartholomæus Montagnanus.
Magister Ioseph de Melfio.

AVGVSTINIANI.

Magister Gabriel de Monte Alcino.
Magister Gabriel Venetus.

CARMELITÆ.

Magister Robertus Bitontinus.

V. I. D.

Martius Fortunatus Archidiaconus Vigiliensis Vicarius generalis Tranen.
Abbas Tarquinus Brunus.V.I.D.
Archipresbyter Barolitanus synodi Prouincialis promotor.
D.Ioannes Baptista Petruccius Canonicus Tranensis secretarius Concilij.
Abbas Pompeius Bonismiro Archipresbyter Tranensis,V.I.D.
Abbas Ioannes Thomas de Bastardis, V.I.D.
D. Maurus Antonius de Berarducio Vigiliensis S.Theologiæ Doctor.
Et ego Ioannes Baptista Brunus publicus

ACCLAMATIONES.

BEatissimo Sixto V. Domino nostro, sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, cuius auctoritate hoc sacrum prouinciale Concilium inchoatum, & perfectum est, multi anni, & æterna memoria.

Responderunt. Domine Deus sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ cõserua multos annos.

Oremus.

DEus omnium fidelium Pastor, & rector, famulum tuum Sixtum, quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice; da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest, proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

INuictissimo Philippo Regi orthodoxo & Christianæ Religionis defensori bona valetudo, & multi anni.

Respond. Catholicum, & Christianæ Religionis defensorem, Rex coelestis, conserua multos annos.

Oremus.

DEus, qui in tua poteſtate de nihilo cuncta creaſti, & diſpoſitis vniuerſitatis elementis, hominem ad imaginem tuam feciſti; reſpice propitius ſuper Philippum Regem noſtrũ, prolem Regiam, exercitum, populumque ſibi commiſsũ, vt ne illum furor exterarum gentium aggrediatur, dextera tuæ potentiæ cuſtodiat, & de auxilijs, quæ nobis largitus eſt in terris, præmia æterna conſequatur in cęlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

REuerendiſſimo dño Archiepiſcopo huius ſacrę ſynodi Præſuli, & Reuerendiſſimis Epiſcopis, vita & fœlix ad Eccleſias reditus.

℟. Præconibus veritatis perpetua memoria. Orthodoxo ſenatui multas annos Oremus. Pro cunctis huius ciuitatis Chriſti fidelibus, & pro omnibus alijs nobis commiſſis.

℟. Chorus.

Saluos fac ſeruos tuos Domine Deus omnipotens, ſpes omnium finium terræ in mari longe.

Oremus.

PLebem tuam Domine continua protectione custodi: & quia sine te non potest salua consistere, auxilijs gratiæ tuæ secura permaneat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

SAcræ Prouincialis synodi decreta. ℟. Semper confiteamur, semper seruemus.

Omnes ita credimus, omnes id ipsum confitemur, omnes idem sentimus.

℟. Ita credimus, ita confitemur, ita sentimus.

His Decretis inhærentes, digni reddamur misericordia, & gratia præfati magni & supremi sacerdotis Iesu Christi Dei, intercedente simul inuiolata domina nostra Deipara, & omnibus sanctis. ℟. Amen.

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias, semper dicamus Deo gratias.

Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus. Respon. Chorus. Amen Amen.

ni,& ſanctiones, & decreta atque alia supraſcripta : Ideo in fidem omnium præmiſsorum propria manu ſubſcripſi ; ſignumque meum appoſui conſuetum, prout ambo rogati & requiſiti fuimus.

NOs Antonius tituli SS. Io. & Pauli S.R.E.presbiter Cardinalis Carafa fidem facimus,& atteſtamur,decreta facta in Prouinciali ſynodo Tranenſi anno Domini M D LXXXIX. à perilluſtri & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopo Tranen.celebrata,eaque ad S.D.N. miſsa, à ſacra Congregatione Cardinalium Cōcilio Tridentino interpretando eius ſanctitatis auctoritate præpoſitorum,emēdata atque aptata fuiſse, necnon eorumdem decretorum originale apud ipſam Congregationem remanſiſse, cum quo huiuſmodi decreta hoc libro chartarū L X X I I. quarum prima incipit : Scipio de Tolpha : vltima vero : Tranenſis,& huius Prouincialis &c.& deſinit, & & requiſiti fuimus : deſcripta, & collata in omnibus,& per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſub-

scripsimus, & ab infrascripto secretario item subscribi, sigillique nostri impressione communiri mandauimus. Romæ, die xv. Maij. M D XC.

Ant. Card. Carafa.

Brutus Guarinius Secret.

ELENCHVS CAPITVM.

SESSIO PRIMA.

SESSIO SECVNDA.

De

SESSIO TERTIA.

SESSIO QVARTA.

De

TRACTATVS DE Concionatoribus.

In-

De

FINIS.

